# EXORCISTA
## RITE' EDOCTUS,

*Seu*

ACCURATA

# METHODUS

*Omne maleficiorum genus probè ac prudenter curandi.*

EXPOSITA

A quodam Religioso, & in lucem edita à quodam Sacerdote

*In gratiam incipientium exercere Artem exorcisticam.*

Lucæ, typis Marescandoli, 1705.
*Superiorum Permissu.*

[Pinamonti, Giovanni Pietro]

~~7440 E 825~~
BK
A. 8003.

# LECTORI.

*Inter Divinæ Apocalypsis Mysteria illud sanè magno nobis solatio est, quod ejus libri Author D. Joannes refert capite vigesimo; scilicèt à se visum descendentem è cœlo Angelum, manu deferentem ingentem catenam, qua ligatum Dæmonem detrusit in Tartara.* a Vidi Angelum descendentem de Cœlo habentem Clavem Abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos



a *Cap. 20. 1.*

nos mille, & misit eum in Abyssum. *Hic Angelus est* JEsus Christus *alibi dictus magni Consilii Angelus*: a *Descendit è cœlo, cum videlicèt è sublimi suæ majestatis solio demittens seſe, imbecillitati naturæ humanæ se sponte subjecit. Hic itaque Christus Dominus ita debilis ut homo, & simul tam potens ut Deus, habet clavem Abyssi, id est insuperabilem potentiam, cohibendi omnes inferorum vires, adeo, ut nihil ab his præstari possit præter id, quod illis permittitur; clavem hanc magnam gestat manu, quia videlicet robur illud ineluctabile, quo omnia complectitur, situm est in suarum pœnarum tolerantia, & sua Cruce, ubi ait Propheta.* b Abscondita est fortitudo ejus. *Hoc au-*

a *Hugo in hunc locum.* b *Hab.* 3, 4.

autem robore, & hac potentia utitur contra Dæmonem, qui dicitur Draco propter vim nocendi, Serpens propter fallaciam, Satanas propter inimicitiam, qua insequitur homines, & eum ligavit per annos mille, quia minuit ejus impetum, donec numerus electorum compleatur, & in Inferno carcere inclusit. Valdè tamen mirum est, quomodo Dæmon ita Christi Domini manu, & Crucis virtute obstrictus, & in Tartareas tenebras relegatus, nihilominus adeo nostris, & Animis, & Corporibus noceat, ut in utraque tanto furore exerceat tyrannidem suam, stabilémque in iis sedem figat, dum homines non modò cruciat sed etiam invadit; tam absurdæ rei ea videtur esse causa, quia videlicèt homines, ut ait Propheta, ad Dæmonem

*accedunt, cum potiùs debeant illum fugere, quo fit, ut licèt ligatus, adeo tamen illis noceat perinde ac si solutus esset.* a Susceperunt me sicut Leo, non ait, convenerunt me, sed susceperunt, *quoniam inferni hostes non conveniunt nos, sed suscipiunt tantummodo, cum eos convenimus & ad ipsos accedimus, non secùs ac qui accedit ad leonem ligatum, aut clausum intra septa, qui licèt semper paratus sit meditando cædes, exequi tamen non potest, nisi quis illi appropinquet.* Susceperunt me sicut Leo paratus ad prædam. *Et ut meliùs & clariùs rem attingamus, triplici via puto nos Dæmoni appropinquare.*

*Primò per peccata, quare tantopere nos hortatur Ecclesiasticus ad fu-*

a *Psal.* 16. 12.

*fugienda peccata, ut eodem tempore fugiamus à dentibus hujus diri Leonis.* b Fuge peccata: si ad illa accesseris, suscipient te dentes Leonis, dentes ejus interficientes animas hominum: *fuge, inquit, peccata, quoniam si ad ea accesseris, hoc est, si ea tuum in cor admiseris, accedes eodem tempore ad ungues, & dentes illius inferni leonis, qui totas suas vires acquirit, suam q; tyrannidem exercet in peccati Regno: Miseros enim illos, qui sponte sese illi dedunt, tanquam captivos detinet.* Si ad ea accesseris, suscipient te dentes Leonis, dentes ejus interficientes animas hominum.

*Secundò appropinquamus huic feræ ligatæ, ansámque illi præbemus*



b *Eccl. 21. 3.*

perinde nobis nocendi, ac si esset so-
uta, quia quicquid ab illa malignè
geritur, non observamus, sed potiùs
causis merè naturalibus tribuimus
ea, quæ revera ab inferni Draconis
furore præstantur: ita fermè viperis
contingit, ut in tuto sint, & impu-
nè mordeant; cum enim terræ sint
concolores, facilè non observatæ fe-
rire possunt, & in silentio morde-
re? Sin autem viderentur apertè,
dubitari non potest, quin illarum
caput subitò contereretur, statimque
solverent illius veneni pœnas, quod
morsu pestifero aliis inspirare me-
ditantur. Et hæc est ratio, quare
malignus hic Inferorum coluber sæpe
studet in maleficiis, vel fascinationi-
bus imitari periodum aliorum na-
turalium morborum, ne videlicèt
vera deprehendatur eorum causa:

ita

*ita certis lunaris cursus temporibus exagitabat olim puerum illum, de quo meminit* D. Matthæus cap. 17. *nempe, quemadmodum adnotat* D. Petrus Chrysologus sermone 51. *ut lunæ tribueretur illius morbi Causa, qui non à cæli syderibus, sed à Tartareis fraudibus derivabatur.* Dæmon vexat corpus lunaribus incrementis, ut esse Lunæ credatur, quod est Diabolici criminis.

*Hac arte assequitur quicquid in primis curat nimirum, ut in curationibus non confugiatur, nisi ad naturalia medicamenta, quæ cum ille nihil timeat, insidiis tuetur locum illum, quem aperta vi tueri non potest.*

*Tertio denique fero huic hosti vires addimus, dum illi appro-*

*pinquamus, quia ea uti poteſtate ignoramus, qua Chriſtus Dominus nos inſtruxit, ut eum debellatum nobis penitus ſubjiciamus.* a Princeps hujus mundi jam judicatus eſt. *Jam Chriſti patientis merita conſtitūerunt Tribunal in omnes Dæmones, jam in ipſos prolata ſententia eſt, jam ab eodem Chriſto Domino facta eſt poteſtas Eccleſiæ ſuæ agendi in reos tam nefarios. Verum pauci norunt hac ipſa poteſtate uti, & cum olim ad nomen ipſum Exorciſmorum Dæmones trepidarent, nunc interriti eos audiunt, & arma noſtra vertunt in Triumphum.*

*Mihi proinde venit in mentem breviter hic meliora præcepta propo-*

a *Joan. 16.*

*ponere, quæ apud Authores invenerim, ut idoneum Exorciſtam inſtituam, qui omnibus infernis tenebrionibns obſtare poſſit, tueriq; decus illud, quo Chriſtus Dominus ſpopondit exornandam Eccleſiam ſponſam ſuam.* In nomine meo Dæmonia ejicient. *Primò Maleficiorum, ſeu faſcinationum cauſas exponemus; Secundò ſigna, quibus ea dignoſcantur. Tertiò proponemus ſalutare remedium, ac veluti amuletum quoddam, quo quis poſſit tum ſanari, tùm præmuniri, ne iterum eidem calamitati ſuccumbat. Tu Domine JESU Chriſte, cujus manus Cruci affixæ hæc jam inferna monſtra ligarunt, tu, inquam, à ſacris tuis vulneribus, eam in me, omnésque hæc perlecturos lucem dif-*

*fundas, ut clarè patere possit veritas, gloriæq; fiat accessio tuæ omnipotenti dexteræ, simúlque pudore suffundatur Tartareus hostis, qui nihil potest.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.

* * *

CA-

# CAPVT I.

## *Quid & quotuplex ſit Maleficium.*

MAleficium non dicimus hîc cum legis peritis quodlibet ſcelerum genus, ſed cum Theologis hoc maleficii nomine ſignificam' magicum illum ac ſuperſtitioſum effectum, qui ope & auxilio Dæmonis alterum lædit. Maleficium igitur eſt opus gemini artificis, nequitiæ videlicet humanæ ſimul & diabolicæ, quo potentius nocere valeant. Maleficus plerumque non ponit niſi ea, quæ ſua parte natura non conducunt fini ſibi propoſito, cujusmodi ſunt aut verba, aut nodi, aut imagines, mixtæ quo-

que cum ſactis rebus, ut iniquitati addatur iniquitas, pluribusque & execrandis ſceleribus unum cumuletur flagitium. Et quidem ad hunc modum maleficus ſignum aliquod externum apponit, cui ex pacto & conventu debeatur concurſus dæmonis, vel ut alter vexetur, donec exempli gratia igni liquefacta fuerit figura aliqua cerea, vel ut alicujus membri uſus impediatur, donec ſolutus non fuerit aliquis nodus. Ita diabolus malitia ſua imitari conatur virtutem illam, quam infinita bonitate Deus in Sacramentis exercet; nam etiam Dæmon, ut ſuas vires conjungat; ſigna ſenſibilia poſtulat, ſed ſigna ſuæ indignitati apta, nempe plumas, oſſa, capillos & ſordes hujusmodi, quibus exigit à Maleficis obſequia verè diabolo digna. a *Dæmones ait D. Auguſtinus illiciunt per omnia genera herbarum, lapidum, lignorum, carminum, rituum, non ut animalium cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, in quantum ſcilicet hæc eis exhibentur in ſignum Di-*

a *De Civit. Dei lib. 21. c. 6.*

*Diuini honoris, cujus ipſi ſunt cupidi.*

Dixi plerumque à Maleficis nocendi cauſa non poni, niſi ea, quæ ſuaptè natura non conducunt hujusmodi fini, quare potiùs mera ſigna dicenda ſunt, quàm phyſicæ cauſæ malorum inde prodeuntium; ſiquidem non ignoro Maleficos uti aliquando etiam toxico, aliisve miſturis, quæ nocendi vim habent à natura, & tunc non ſolùm malefici dicuntur, ſed etiam venefici propter venena, quibus utuntur, ut interficiant vel homines, vel belluas.

Verùm his omiſſis, utpote rarioribus, explicemus jam, in quo plerumque ſita ſit ea vis, qua faſcinationes tam mira & inuſitata efficiunt, ut quotidiana teſtatur experientia. Hæc vis procul dubio à dæmone oritur, qui vel exteriùs aſſiſtens laboranti ex maleficiis, & faſcinis (quem uno verbo dicemus maleficiatum) vel interiùs inſidens ejus membra, malum illud efficit, vel interdum illud efficit ſo-

solo motu locali; a vel tandem efficit adhibendo physicas causas, quarum ipse est apprimè peritus, cùm probè calleat, quicquid potest perturbare humores, animales, vitalésque spiritus inficere, sanguinem corrumpere, instrumenta frangere variis muneribus necessaria, denique quodlibet membrum vitiare, imò ipsismet causis naturalibus major inest efficacitas, quotiescunque assumuntur à dæmone, ut instrumenta nocendi, quàm cum à principali & naturali Agente adhibentur: si quidem ab illo recipiunt majorem quamdam vim ob vehementiam & celeritatem, qua dæmon illis utitur. A fine autem, quem sibi proponunt tam Malefici, quàm Dæmon in hujusmodi noxiis actionibus, deducitur divisio Maleficiorum, quæ triplex est. Maleficium b *Somnificum*, *Amatorium & Hostile*. Maleficium dicitur somnificum, quando quis superstitiosis verbis, vel potione aliqua placidissimo somno obruitur, ut interim possit

a *Abulens. in cap. 9. Matth. q. 91. fol. 119.* b *Delrio. Disq. l 3 p. 1. q. 1.*

sit rapi, vel fascinari aliquis infans, vel violari aliqua fœmina, vel aliud ejusmodi scelus occultè perpetrari.

Maleficium dicitur Amatorium, cum quis potionibus pariter, verbis, aliisve incantationibus excitare conatur in alterius animo inusitatam amoris vim, flammamque venereæ libidinis ardentissimam. In hanc sententiam dicta putantur verba illa Prophetæ Nahum a *Propter multitudinem fornicationum Meretricis speciosæ & gratæ & habentis Maleficia*: & pluribus in locis hujusmodi Maleficiorum mentionem faciunt Sancti Doctores. b S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Papa, S. Irenæus. Attamen, dum hæc dæmon agit, assensum ab humana voluntate per vim extorquere nullatenus potest, sed solum phantasiam perturbans, & per sensus tum interiores, tum exteriores ingerens varias cogitationes, subministrat tale pabulum appetitui, parti videlicet

a *Rib. c. 3. 4.* b *Apud Mart. delz. l. cit. q. 3. sec. 2.*

licet animæ inferiori, & rebelli, ut quisquis effusis ad Deum precibus munire se negligat, cogi ferè se sentiat, nec hujusmodi titillationibus resistere se posse arbitretur.

Tertium denique Maleficium dicitur hostile, cujus immediatus finis est nocere alteri in bonis, sive animæ, sive corporis, sive fortunæ; Præcipuè contra hoc Maleficium utpote magis consuetum & frequens, afferemus remedia in hoc libello, cum præsertim eadem remedia commodè adhibita prodesse possint etiam aliis duobus maleficiorum generibus, quæ nuper meminimus.

CA-

# CAPVT II.

## *An verè inter Christianos, & à Christianis fieri possint, & fiant hæc Maleficia?*

VErùm ne ædificium extruamus non accuratè fundatum, antequam progrediamur ulteriùs: necesse est hoc ipsum, de quo agimus certioribus argumentis comprobare. Non pauci sunt, quibuscum si loquaris de Maleficis, de Veneficis, de obsessis à Dæmone, risu excipiant hujusmodi sermones, animique nimium creduli putant aures præbere his narratiunculis: imo quosdam insolitos effectus tribuentes vel uteri morbis in mulieribus, vel doloribus melancholicis in viris, vel imaginationi vehementi disertè asserunt se, quoad hæc mala à diabolo illata nihil credere, nisi quicquid, vel in sacris Paginis, vel in Evangelio legitur. In primis ita sentiunt Hæretici, & quidem potest illis ignos-

noſci : falſæ enim illorum ſectæ nimio dedecori eſt, nullum apud ipſos reperiri remedium efficax adverſum has diabolicas artes, & è contrario eximium Eccleſiæ decus eſt poſſe per ſuos miniſtros eum timorem incutere infernis nebulonibus, ut dicto audientes ſint; deſerántque illa corpora, quæ inſederant. Refert a teſtis oculatus Staphilus, Lutherum ſemel per oſtentationem aggreſſum Energumenum, liberare eas à Diabolo minas, & violentias expertum eſſe, ut falſus Propheta vix ſubterfugium invenerit; nec deinceps hujusmodi operi manus unquam admovere auſum fuiſſe. Contra verò adeo propria eſt Chriſtianæ, & Orthodoxæ Religionis poteſtas hæc expellendi dæmones, ut S. Juſtinus Martyr, ea, tanquam indubitabili teſtimonio, probet Chriſtianæ fidei veritatem. b *Nos, qui in Crucifixum credimus, dæmonia cuncta ſpiritúsque malignos abjurantes, ſub poteſtate noſtra habemus ſubditos.* Nos, ait ſan-

a *In Reſponſ. cont. Schmidelinum.*
b *Dialog. cum Triphone.*

nctus Martyr, qui deridemur ab thnicis, quòd Deum colimus Crucixum, ſumus tamen in ejus nomine deo potentes, ut poſſimus non ſolùm incutere timorem omnibus dæmonibus, ſed eos etiam habere ſubjectos tanquam ſubditos. Proinde mirandum non eſt, ſi Hæretici, aliæque ſectæ pro viribus ſtudeant negare potestatem hanc contra dæmones omnibus humanis viribus majorem, conenturque cauſis merè naturalibus tribuere damna à maleficiis illata. Magis mirandum eſt inter Catholicos etiam interdum reperiri, qui huic Hæreticorum ſententiæ favere videantur, credulámque levitatem putent, fidem habere huic rei, de qua loquuti & loquuturi ſumus.

Sed primò inter iſtos credulos & imprudentes, qui putant magos & dæmones maleficis, & veteratoriis artibus multa damna inferre, oportebit numerare multos legislatores, & ineptiam reputare leges & Canones. Plurima per maleficos mala mortalibus, & mortem ipſam inferri, pro cer-

certo ſumitur in *l. multi*, *l. ſi excepta*, *& l. quicumque C. de Malef. & Mathem.* ubi vocantur humani generis inimici, & communis hoſtes ſalutis. Nequis medicatis, ſuperſtitioſisque potionibus ad amorem alio compellere curet, vetatur *l. eorum C. de Malef. & Mathem. l. 2. §. adjecto ad L. Corneliam de Sicariis & l. ſi quis aliquid §. abortionis ff. de pœnis.* Præterea Sacri Canones paſſim agnoſcunt hæc Maleficia & has artes maleficas nocendi, & præcipuè in Matrimoniis. a *c. ſi per ſortiarias 33. q. 1.* & præſcribunt trium annorum ſpatium, experiendi cauſa an Maleficium ſolvatur, vel removeatur impedimentum, & maleficium ſi perſeveraret, judicatur perpetuum, & fit ſeparatio. *Extra: tit.* de frigidis, & maleficiatis *c. finali.* Jnſuper complurium aliorum hujusmodi effectuum mentionem facit Innocentius Octavus in diplomate contra maleficos decernens pœnas, quæ illis debentur poſtquam memoravit eorum culpas. *Suis in-*

a *V. Farinac. in Praxi q. 20. nu. 74.*

*ncantationibus & conjurationibus, arminibus, aliisve nefandis ſuper-titionibus & ſortilegiis mulierum artus, animalium fœtus, terræ ruges, vinearum uvas, ipſósque omines, mulieres, jumenta, peco-& animalia diris, tam intrinſe-s, quàm extrinſecis doloribus & ormentis afficere & excruciare, ac osdem homines ne gignere, & mu-ieres ne concipere valeant, impedi-e.* Similia item crimina recenſent, & ſimiles pœnas conſtituunt, Inno-entius VIII. Alexander VI. Hadria-us VI. & Leo X. c. *nec mirum*, & *in . Decretal. tit. de malef. & incant.* Sin autem pariter deridendi ſunt illi, qui credunt, à dæmone invadi poſſe membra humana, ac malè exagitari, neceſſe erit inter hos recenſere gravio-es Theologos & clariores EccleſiæDo-ores; Id enim pro certo habetur ab uſtino in *Dialog.* Tertulliano *in A-ologet. c. 32.* Arnobio *l. 1. cont.* Gent. Cypriano *ep. ad Demetri.* Lactantio *l. . c. 16.* Jo. Chryſoſt. *hom. 54. in Math.* Auguſtino *l. 10. Civit. c. 22. &*

*lib.*

*lib. 22. c. 22. 8. lib. 16. c. 4.* Gregorio *lib. dialog.* & expreſsè Hieronymus *in c. 4* Matth. impugnant illos, qui vi melancholiæ, & cœli ſiderum tribuunt inſolitos illos effectus, quos patiuntur Energumeni, & ait eſſe fraudem dæmonis, ut homines provocet ad odio habendas res à Deo creatas, ſuámque tegat malignitatem infamando ſtellas. Hoc idem uſque adeo in confeſſo eſt apud Theologos ut Abulenſis de negantibus maleficia, & diabolicas vexationes in corporibus hominum ita pronunciet: *Non conſentiunt illa, quia non benè ſentiunt de fide in c. 19.* Math. *q. 90.* & Cardinalis Toletus *in c. 4. S. Lucæ adnotat. 34.* ſic habeat: *Dæmones ingredi in humana corpora, & eis aſſiſtere, eáque vexare, adeò ex ipſa ſacra ſcriptura conſtat, ut abſque gravi & manifeſto errore negari nequeat.* Pariter affirmant Theoligi communiter non ſolùm reperiri veneficos, ſed revera transportari à dæmone etiam in remotas Regiones ad nocturna illa, & horrenda conventicula. Ite aſſerit Albertus Magnus,

S

S. Thomas Scotus, Guglielmus Parisiensis, Silvester Abulensis, Victoria, Cardinalis Cajetanus, Turrecremata. Alphonsus de Castro, Xistus Senensis, & multi alii apud Delrio *l. 5. sect. 16. nu. 5.* Proinde nonne magna temeritas est credulis ascribere hos plurésque alios viros tanta doctrina præditos? ascribere eos, qui legibus mundum rexerunt, ascribere graviores Ecclesiæ Doctores, ascribere Pontifices, Canones, Diplomata, Ecclesiam ipsam, eique non solum nimiæ credulitatis, sed etiam injustitiæ notam inurere? Etenim si verum esset id, quod tam audacter asserunt hi superbi Censores, id est Maleficia, & Maleficos meras chimeras esse, & fabellas aniles, dum scimus toties supplicio flammarum damnatos esse ab judicibus tum Ecclesiasticis, tùm Laicis, & Magos & Veneficos, fatendum erit ab humanæ Justitiæ Arbitris tot concremari non ob aliud crimen nisi ob somnium; pariter fatendum erit Sanctam Ecclesiam errare, dum hujusmodi homines judicat Hæreticos, & malè age-

re, dum Conjugatos separat post experimentum trium annorum, ut superiùs innuimus, & tandem decipi, dum gloriæ Sanctorum tribuit, ut sæpè videmus, liberasse à dæmonibus obsessos. In publicis iis decretis, quibus ab Ecclesia Sanctorum fastis adscribentur plurimi pietate ac miraculis insignes viri, persæpe tribuitur iis potestas hæc effugandi ab Energumenis dæmones. Et ut loquamur de rebus omnium oculis expositis, legimus in Divini Officii precibus de sancto Hilarione hæc verba: *Innumerabiles dæmones in multis terræ partibus ab hominum corporibus ejecit.* Et de sancto Ubaldo Eugubino Antistite pariter ibidem ita habetur: *Ejus virtus præcipuè in effugandis spiritibus immundis elucet.* At ô præclaram virtutem, si dæmones humana corpora non invadunt. O egregiam fidem, quam meretur Ecclesia, si has fabulas nobis proponit. Itaque omnes hæ propositiones (quæ quidem sunt, vel palam absurdæ, vel etiam blasphemæ) legitimè inferri possent, si malefitia, ma-

malefici & diabolicæ in corporibus humanis operationes eſſent ſomnia & chimeræ, ut iſti deriſores nobis perſuaſum volunt.

Verùm præter authoritatem adeo certam & indubitabilem hoc idem comprobare placet ratione. Dæmon propter naturam ſuam angelicam præditus eſt tum ſapientia, quamlibet humanam ſuperante, tum ea potentia, ut in Jobi libro dicatur. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Etenim ait Gloſſa; licèt peccando amiſerit beatitudinem; *Naturæ tamen magnitudinem non amiſit; cujus adhuc viribus humana omnia ſuperat.* Imminuta quidem valdè illi eſt potentia à pœnis & morte JESU Chriſti, non eſt tamen illi omnino ſublata, ita, ut Deus diabolicæ nequitiæ non indulgeat, non parvam facultatem nocendi, præſertim corporibus, quibus videlicet nondum plenè abſoluta eſt redemptio, quam pro nobis obtulit Chriſtus Dominus Propterea ait Apoſtolus: *Ingemiſcimus redemptionem corporis expectantes.*

Quamobrem si quis insuetas illas Energumenorum agitationes neget fieri à viribus dæmonis, negat etiam dæmoni potestatem aliquam esse in corpora, ut ea exagitet, & vexet, quoties à virtute superiori non impediatur, & coerceatur, & tamen hujusmodi in illo potentiam ratio probat, a concedunt Theologi, asserunt sancti Doctores, ut superiùs exposuimus. Adde, quod nemo sanæ mentis ascribere potest causis naturalibus humorum corruptorum, vel influxibus stellarum, si quis loquatur linguis sibi aliàs ignotis, arcana detegat, res narret remotis in locis peractas, exactè exequatur quicquid Exorcista præcipit, præsertim voce adeo submissa, ut ab humanis auribus percipi minimè possit: Et tamen hæc aliáque hujusmodi frequenter spectamus: fatendum ergo est, hæc fieri à viribus superioris naturæ, id est dæmonis, qui in illis membris latet, & illa movet; demum si incredulis hisce redarguendis non sufficeret id, quod sa-

a *V. Abulens. in c. 19. Matth. q. 9. f. 118. c. 4.*

ſatis ſupérque eſt, accipiamus, quod dant. Aſſerunt nolle ſe alia maleficia aliosve Energumenos agnoſcere, niſi illos, quorum fit mentio in Evangelio. Optimè quidem. At qui in Evangelio fit ampla poteſtas Apoſtolis, atque diſcipulis expellendi dæmones ab humanis corporibus. *Ecce, dedi vobis poteſtatem ſuper omnem virtutem inimici:* Luc. 10. Affirmatur hæc ipſa poteſtas fore temporibus futuris argumentum certiſſimum ad comprobandam Chriſtianæ fidei veritatem. *Signa autem eos, qui crediderint, ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient.* Marc. ult. oſtenditur quondam ejeciſſe ſe à corporibus dæmones, ſatis non fore ad evitandam damnationis ſententiam extremi judicii die, ſi neglectæ interim fuerint Chriſtianæ leges. *Domine nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Matth. 7. Præſcribitur etiam methodus contundendi omnes Inferorum vires, per ſacras videlicèt preces & jejunium. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur,*

*nisi in Oratione & Jejunio.* Marc. 9. Ex his ergo JEsu Christi verbis in Evangelio descriptis, clarè patet etiam temporibus futuris dæmones multoties habituros esse hanc libertatem invadendi humana corpora, & ad extremum usque tempus sanctam Ecclesiam fruituram tam miro hoc privilegio, nempè expellere posse tartareos hostes ab occupata sede.

Æquum tamen videtur hac in re media incedere via; *Medio tutissimus ibis*; neque nimis, neque parùm credere. Ex una parte opus est non tribuere omne malum dæmoni, quemadmodum nonnullæ insipientes mulierculæ consuevere, de quibus dixisse videtur Spiritus Sanctus: *Qui citò credit, levis est corde.* Ex alia nefas est obstinata pervicacia propriæ opinionis negare fidem experientiæ, rationi, authoritati, rectitudini consuetudinis adhibitæ in Ecclesia, & adimere tum Sanctitati hoc decus, tum eidem Ecclesiæ adeo manifestum signum, quo dignosci possit ut vera inter tot alias falsásque sectas, scilicet insuperabilem po-

poteſtatem cohibendi dæmones, cósq; ab occupatis corporibus expellendi.

# CAPUT III.

## *Cur Deus permittat dæmoni hanc poteſtatem vexandi corpora humana.*

ETſi arcana Divinæ Providentiæ conſilia ſunt potiùs adoranda verecundo obſequio, quàm ſuperba curioſitate inveſtiganda, tamen vituperabile non eſt rationem quærere ejus Decretorum, ut ea libentiùs amplectamur. Hac animi demiſſione quæremus hîc, cur Deus permittat dæmoni talem poteſtatem in corpora præſertim Chriſtianorum, quæ cæteroquin ob ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum adempta videntur eſſe illius ditioni. Novimus Turcarum filios adeo frequenter agitari ab his diabolicis vexationibus, ut ad eos ſanandos nullum inveniant eorum parentes remedium efficaciùs ſacro Babtiſmate, quo etiam

per vim ab aliquo Chriſtianorum abluantur. Magnæ itaque admirationi eſt, quomodo hoc Baptiſmi remedium non ſatis ſupérque ſit ad præmunienda Chriſtianorum corpora contra quodlibet Maleficium, cum ad ea ſananda ſufficiat.

Nihilominus, ſi rectè loquamur, invenimus tres rationes hujus permiſſionis, quæ animi noſtri tumultus omnes ſedare poterunt. Prima ad probrum dæmonis; Secunda ad bonum hominis; Tertia ad ipſius Dei gloriam. Primò igitur permittit Deus hanc dæmoni facultatem ad ejus probrum graviorémque pudorem, ut expulſus, quemadmodum ſæpe illi contingit, agnoſcat infelix, quo adactus ſit à ſuperbia ſua, ut homini adeò cæteroquin imbecillo reſiſtere nequeat; imò ut formidet Exorciſtarum minas, & cogatur interdum cedere etiam pueris Chriſtianis, qui luſtrali aqua precatoriis globulis ſacríſque Sanctorum Reliquiis eum fugaverunt. Præterea nonne argumentum eſt magnæ imbecillitatis tanta impelli rabie ad nocendum-

dum, nec arbitratu ſuo id exequi poſſe, ſed juſſu Dei, veluti mare intra certos limites ita coerceri, ut ne porcos quidem invadere valeat, facultate ei non facta? *Mitte nos in porcos.* Marc. 5. 12.

Hæc eadem permiſſio eſt etiam bono & utilitati hominis: ſic enim impedit multa peccata; & hac eadem de cauſa permitit Deus frequentiùs faſcinari pueros innocentes, tum ne contrahant illas culpas, quas facile admitterent ſi ad rationis uſum pervenirent, tum ut eruantur ab æternis inferorum pœnis, quas mererentur. Ab adultis verò Deus hac diabolica vexatione quærit patientiam & perfectionem majorem virtutis, ut accidit ſancto Job, poſtulat majorem Sacramentorum & precum frequentiam; quoniam ut affirmat S. Gregorius: *Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt:* Quærit incrementum Chriſtianæ demiſſionis, ut agnoſcamus quàm malè ſtatuerimus avertere nos à Deo, ut converteremur ad hoſtem adeò crudelem, & quàm

malè excuſſerimus amabile Divinæ legis jugum, ut nos ſubjiceremus tyrannidi tartarei proditoris: Quærit noſtrorum ſcelerum correctionem: quemadmodum jam mos erat Eccleſiæ, quæ coercendi cauſa peccatores contumaces, vice excommunicationis tradebat eos vexandos Dæmonibus, ut affirmat Origenes, & fecit Apoſtolus Paulus cum illo adultero, cujus mentionem facit in Epiſtola ad Corinthios, & cum illis aliis duobus Blaſphematoribus, quorum meminit in Epiſtola prima ad Timotheum. Quærit firmare noſtram fidem tum contra Atheos, qui negant omne genus ſpiritus carentis materia, tum contra hæreticos, qui adverſantur veræ Eccleſiæ. Quærit corroborare ſpem, qua expectamus integram & perfectam liberationem tum animarum, tum corporum. Quærit tandem inflammare charitatem, ut ex crudelitate, quam dæmon exercet in corpora, arguentes illam magis occultam & magis univerſalem vim, quam olim ille exercebat in animas, intelligamus quantum liberatori noſtro JEſu Chri-

Christo debeamus, & quàm redamandus sit is, qui tot pœnis, tantoque sanguine redimit nos à tam crudeli servitute.

Ante omnia quærit Deus incrementum gloriæ suæ, quæ est præcipua causa, propter quam omnia disponit, & quia inter omnia Divina attributa misericordia & justitia majorem addunt gloriam Deo, ut res hominum gubernanti, sicut monet Propheta (*Universæ viæ Domini misericordia & veritas*) ideo ut utramque demonstret, permisit dæmoni maleficiis torquere corpora, & in ipsa exercere tantam potentiam; demonstrat misericordiam impediendo tot mala majora, quæ dæmon posset inferre humano generi, quorum satis parva pars est malum illud, quod ab Energumenis aliísque per diabolicas artes vexatis tolerari videmus. Multomagis demonstrat infinitam misericordiam, dum diu tolerat horrenda peccata Maleficiorum, blasphemias execrandas, formidanda sacrilegia, detestabiles injustitias, Sacramentorum abusum, dum

patienter fert ab ipsis ejurari Christianam fidem, renunciari Baptismo, ita illos semper agere, ut vel seducant animas, vel alteri noceant, consultò peccare, & ex mera improbitate, & ea solum de causa, ut injuriam inferant Deo, conantes interim in se exprimere tale tartareorum nebulonum similitudinem, ut inde foveri possit ea mutua familiaritas, quam cum illis stabilire studeant; atque ut uno verbo totum complectar, dum tolerat illud Chaos scelerum, quæ solum mente assequi possunt confessatii, si ad eorum pedes unquam confugit aliquis horum Maleficorum pœnitentia ductus. Quam igitur misericordiæ altitudinem non ostendit Deus tolerando hujusmodi scelerum imanem cumulum? & tanto magis; quia non solum ea tolerat, sed etiam quoties infelices hi resipiscant, & pœnitentiam agere statuant, illis ignoscit, & in amicitiam suam recipit, erigítque è cœno tot flagitiorum ad gratiam, & spem Regni Cœlestis.

Pariter in hac eadem permissione & libertate nocendi ostendit Deus suam re-

rectiſſimam juſtitiam & odium ſummum, quo proſequitur peccatum, puniendo illud per carnificem adeo dirum, qualis eſt dæmon. Ita punivit intemperantiam ſponſorum Saræ, permittendo, ut ab Aſmodæo omnes ſeptem occiderentur: Ita punivit blaſphemias Alexandri & Imenæi permittendo, ut à dæmone crudeliter vexarentur; ita punivit calumniam, qua perdita mulier ſtuduit violare famam ſancti Gregorii Agrigentini, ut narrat Metaphraſtes; ita punivit Sacrilegia Sacramentum Communionis indignè obeuntis, ut refert ſanctus Cyprianus; ita punivit contemptum cenſuratum, ut legitur de multis, quos ſanctus Ugo Epiſcopus Lincolnienſis à fidelium comunione disjunxerat, & quod majus eſt, ita punit ſæpiſſime peccata Genitorum, dum tradit vexandos diabolo eorum filios, cæteroquin ob teneram adhuc ætatem incapaces culpæ, & ſolum aptos cruciare parentes ſuos malo ipſo, quo agitantur. Hæc & plura alia bona, quæ longum nimis eſſet ſingillatim enumerare, colligit

Deus ab hujusmodi facultate, quam diabolo facit, ut affirmat sanctus Augustinus. *Deus nullo modo sineret aliquod malum esse in suis operibus, nisi usqueadeo omnipotens esset & bonus, ut bene faceret etiam de malo.*

---

# CAPUT IV.

## *Quibus signis cognosci possint Maleficia.*

INter observationes medicinæ curandis ægrotis maximè utiles censetur cognitio signorum tum illius morbi, quo quis in præsenti laborat, tum illius, qui timeri potest in reliquum tempus; hoc autem potiore jure intelligendum est de gravissimo morbo & corporis & animæ, quem parit maleficium; quare necesse est de hac re breviter hîc aliquid attingere.

Duo signorum genera observari possunt, ut in re tanti ponderis veritas pateat, & ut meliùs certiúsque adhiberi possint remedia; signa nimirum

rum evidentia maleficii & diabolicæ vexationis, & ſigna merè probabilia, quæ non præbent evidentiam mali, ſed ſolam conjecturam. Ad primum genus ſignorum evidentium pertinent omnes effectus illi, qui oriri non poſſunt à viribus naturæ inferioris, ſed requirunt potentiam humana ſuperiorem, ut vel agant, vel crucient; cujusmodi eſt, ſi maleficiatus pluribus loquatur linguis, quas nunquam didicerit, ut ſuperiùs diximus, vel reſpondeat Exorciſtæ, nec tamen intelligat vim illarum vocum, quas proferri audit, vel detegat res occultas, vel ea efficiat, quæ à tali hominum genere effici non poſſent ſine auxilio dæmonis. Signa verò probabilia, vel conjecturalia ſunt illi effectus, qui ſæpe fiunt viribus dæmonis, ſed poſſunt etiam fieri à cauſis omnino naturalibus; Exempli gratia lucis fuga in eo, qui alioquin oculis non laborat: non poſſe intueri fixis oculis ſacerdotes & Exòrciſtas: odorem vel thuris conſecrati, vel florum Altari impoſitorum pati non poſſe: coram ſacris Sanctorum reliquiis

is timere, ac triſtari nulla alia præeunte cauſa: audire Evangelium, & intereſſe ſacroſancto Miſſæ Sacrificio inſueta cum animi corporísque perturbatione: perpetua cruditas, quoties cibus aliquis Deo ſacratus comeditur: contorquere horribiliter oculos, fremere dentibus, & ſpumare inſtar rabidorum canum: ſentire humeros precurri ab igne quodammodo, vel gelu, vel formicarum turma: experiri internam quamdam averſationem ab imaginibus ſacris, ſentire grave pondus, ſi quando à ſacerdotibus manus imponantur capiri: non poſſe rectè pronunciare ſacras preces, & alia hujusmodi;

Et quidem circa hos plurésque alios effectus & mala, à quibus torquentur maleficiati, duo ſunt advertenda, ut veritas agnoſci poſſit; Dæmon enim, ut dictum eſt, ſe pro viribus occultare nititur. Primum eſt, mala, quæ dæmon ſtudet inferre corporibus Maleficiatorum conjunguntur plerumque cum malo animæ, quod quidem malignus hoſtis in primis poſtulat; & quidem conjunguntur hæc mala cum ingen-

genti aliorum moleſtia, eò quod provocentur ad inpatientiam tum omnes domeſtici, tum ipſi ægroti ob inuſitatas, miſerásque illius morbi vices: Nocent etiam ſanctioribus diebus, vel cùm appropinquant feſta magis ſolemnia: conjunguntur præterea cum alienatione à rebus ſacris, vel cum variis tentationibus præſertim contra pudicitiam, ac tres virtutes Theologicas, fidem nempe, ſpem & charitatem. Secundò advertendum eſt, hæc ſigna, quæ ſunt alioqui ſolùm conjecturalia, facilè evadere poſſe evidentia, ſi accidat, ut ceſſent vel redeant imperante Exorciſta, aut imponente manus: Quomodo autem id fieri poſſit á nobis, explicabitur ſuo loco. Proinde univerſim dici poteſt, antequam pronunciemus ægrotum vexari maleficio, vel hoc indicari à prædictis ſignis, quæ forte deprehenſa in aliquo fuerint, magna prudentia rem eſſe penſandam, ne poteſtas hæc imperandi omnibus inferorum diabolis, & qualibet humana major, exponatur ludibrio Incredulorum.

CA-

# CAPUT V.

## *De remediis contra Maleficia.*

### *Et primùm de Exorciſtæ poteſtate.*

IN veteri lege noluit Deus remedio carere ingens hoc malum vexationis diabolicæ, cùm etiam inter Hebræos fuerint Exorciſtæ, qui poterant expellere à corporibus Energumenorum dæmonia, ut colligitur ex Joſephi Hebræi Hiſtoria, *l. §. c. 2. Antiq.* imò ex ipſo Evangelio S. Luc. *c. 11.* & ſancti Mathæi *c. 12.* multò magis debebat Deus tali remedio inſtruere Eccleſiam ſuam, quando quidem miſerat in terras Divinum Filium hoc conſilio, ut ſolveret, & aboleret omnes fraudes, & omnia opera dæmonis. a *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.*

Ut benè intelligatur hoc remedium, ſta-

a *Joan. 3. 8.*

ſtatuendum eſt priùs, ſacrum Exorciſtæ Ordinem eſſe verum Sacramentum. Id probatur conſenſu cõmuni a Theologorum tum veterum, tum recentiorum cum D. Thoma in quartum ſententiarum Diſtinctione 24. & multò magis confirmatur authoritate Conſilii Florentini & Tridentini. Concilium Florentinum poſtquam dixit, Ordinem eſſe ſextum Sacramentum & materiam ipſius eſſe id, quod porrigebatur Ordinato in ſua ordinatione, ponit exemplum in Sacerdote, in Diacono & Subdiacono, & addit idem eſſe intelligendum de aliis Ordinibus Minoribus. Ita pariter Concilium Tridentinum ſeſſione 23. can. 2. numerat ſeptem ordines; poſtea verò can. 3. abſque ulla differentia abſolutè affirmat Ordinem eſſe Sacramentum. Tandem

a *Bonav. in 4. diſt. 24. a. 2. Vict. de Sac. queſ. 226. Bellar. t. 3. de Sacr. Ordinis c. 6. 7. 8. Coninch. diſ. 28. d. 6. Valent. T. 4. diſ. 9. q. 1. p. 4. Sa. V. ordo n. 1. Albertus, Riccar. Sotus, Gabriel, Paludanus Capſeol. Major apud Tanner. t. 4. diſ. 7. q. 2. dub. 2.*

dem Ordines Minores quoque non poſſunt iterari, ergò imprimunt characterem: ergò ſunt Sacramenta. Ex his præmiſſis rectè infertur, Exorciſtæ ineſſe poteſtatem, quantum in ſe eſt, & in actu primo efficacem, ad expellendum dæmonem à corporibus & forè ſemper efficacem in actu ſecundo, ſi concurrant omnes debitæ circumſtantiæ, cum ſit poteſtas Sacramentalis virtute ſanguinis, meritorum & promiſſionum JEſu Chriſti collata illi per Sacramentum, quod eſt ſignum practicum & operatur id, quod ſignificat. *Accipe* ait Epiſcopus in ordinatione Exorciſtæ porrigens illi librum Exorciſmorum; *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive Cathecumenos, ſive baptizatos.*

Præterea confirmatur id diſtinguendo duo genera poteſtatis in Eccleſia contra infeſtationes diabolicas, alteram ordinariam, alteram extraordinariam. Extraordinaria numeratur inter eas gratias, quæ dicuntur gratis datæ, & communicantur ad arbitrium

um Spiritus Sancti, quemadmodum cætera bona, & reducitur ad id, quod vocatur, operatiò virtutum. Ordinaria eſt illa, de qua loquimur, & communicatur Exorciſtæ per Sacramentum Ordinis, quo Chriſtus & eadem Eccleſia inſtituere curat miniſtrum idoneum contra dæmonum vexationes, quæ adeò nocent non ſolùm corpori, ſed etiam animæ, & adeò impediunt, ne benè recipiantur Sacramenta, & præcipuè Baptiſmus & Euchariſtia, quæ finis eſt omnium aliorum, & ne conſervetur gratia poſtquam benè ea recepta fuerint; *Idoneos nos fecit Miniſtros novi teſtamenti.*

Tandem hæc eadem efficacia apparet ex verbis, quibus Exorciſta ſuam exercet poteſtatem in Exorciſmis, quæ proferuntur tanquam abſolutum aliquod imperium & præceptum. *Ergò maledicte diabole exi ab eo*; Demonſtrans, ait D. a Thomas, ſuas voces non ſolum ſignificare, ſed etiam agere, & operari, id quod dicunt; aliter ſi ſancta Eccleſia non agnoſceret in ſuo

a *in 4. diſt. 6. q. 12. art. 2.*

suo Ministro magnam hanc authoritatem collatam illi contra dæmones, non proponeret verba imperantia, & præcipientia ab eo proferenda contra execrandos illos hostes, sed solum verba deprecantia erga Deum.

Non habet igitur Exorcista nudum Ministerium legendi aliquas preces supra Energumenos, neque habet solum potestatem increpandi dæmones & accelerandi eorum discessionem à corporibus, sed habet imperium & virtutem cœlestem eos expellendi, & quando ejus præceptum debitas habet circumstantias, & rite fit, non possunt dæmones illi resistere, quemadmodum arbitratu suo resistunt homines; a quia imperat illis, ut Minister Dei & ut instrumentum sanctæ Ecclesiæ, ex quibus infertur ejus operationes esse præcipuè operationes Dei & ejusdem Ecclesiæ, quam vincere & superare non possunt Inferorum vires. *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Et

a *V. Sanch. in Dec. l. 2. cap. 42. nu 16. & Valen. 22. disp. 6. q. 8. p. 2. ex Castro v. Exorcism.*

Et quidem clariora fiunt hactenus dicta ab eo loquendi modo, quo utuntur Patres & Doctores, qui pro certo habent Exorcistis inesse virtutem Divinam contra Infernos hostes. a *Dæmones*, ait Cyprianus, *à nobis adjurantur & retorqnentur spiritualibus flagris & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur.* Et alibi b *Adjurati per Deum verum à nobis statim cedunt, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & operatione Majestatis occultæ flagris cædi, igne torqueri, ejulare, gemere, deprecari.* Et alibi apertè Divinã dicit potestatem Exorcistarum. c *Per Exorcistas voce humana ex potestate Divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus.* d Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus quoque asserit ab Exorcistis virtute Spiritus Sancti expelli Dæmonia, e & sanctus Augustinus affirmat exorcizare non esse aliud, nisi exor-

a *Ep. ad Deme.* b *de Idol. vani.* c *Ep. 76.* d *Cathec. 2.* e *Aug. l. 1. de c. 1. Beat.*

expellere per virtutem divinam ſpiritum immundum à corporibus. *Exorcizare eſt per Divinam virtutem immundum ſpiritum adjurando expellere.* Et hæc eſt illa poteſtas, quam idem ſanctus Auguſtinus *lib. 83. qu. 79.* dicit publicam & imperialem legem & poteſtatem ſummi Dei, ut imperet Angelis rebellibus; & illa, quam etiam D. Juſtinus quæſt. 40. ad gentes dicit, vim inviſibilem & ſuperiorem ſenſibus ad terrorem dæmonis, quando Eccleſia illis imperat per Exorciſtas, quibus Ugo inter Theologos dedit nomen excellentius imperii ſpiritualis ſuper ſpiritus immundos. *Exorciſtæ habent imperium ſpirituale ſuper immundos ſpiritus, ut eos de corporibus obſeſſis ejiciant.* (De Sacramentis *lib. 2. par. 3. cap. 8.*) Et Abulenſis poſtquam conſideravit eam proportionem & Analogiam, quæ intercedit inter poteſtatem Sacerdotis, dum Euchariſtiam conſecrat, & poteſtatem Exorciſtæ, dum dæmones expellit, ita concludit. *Ita in Exorciſtis, quanquam verba, quæ ipſi pro-*

*fe-*

*ferunt non habeant ex natura sua aliquam efficaciam ad expellendos Dæmones de corporibus, prolatis tamen illis verbis, quæ etiam in forma dedit Deus, illicò Dæmones ejiciuntur de corpore, & hoc quia Deus a promisit, quod prolato suo nomine ita fieret.* Duo possunt hic objici, quæ nõ sunt dissimulanda. Primum, non est omninò indubitatum Ordines minores, atque adeo Exorcistarum inter Sacramenta connumerandos; Si quis ergò hoc neget cum Durando, corruet fundamentum allatæ doctrinæ. Fateor Durandum, cum paucis aliis, quibus quandoque non arridentꝰ quæ omnibus probantur, Ordines minores inter Sacramenta non collocare; at non ideò corruit fundamentum jam stabilitum; quinimo neque nutat. Nam ex unanimi Patrum & Theologorum sensu, Christus Ecclesiæ potestatem fecit expellendi dæmones è corpotibus, ut patet *Matth. 10. Luc. 10. Marc. 15.* maximè cúm ait. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Neque hoc imperium Ecclesiæ negabit aliquis, nisi velit il-

a *1. Reg. c. 16. q. 41.*

poſt habitam Sinagogæ, quæ hoc imperio donata eſt olim, ut palam faciunt illa verba Salvatoris. *Si ego in Belzebub ejicio Dæmonia filij veſtri in quo ejiciunt?* ut etiam ſuperiùs innuimus. Hanc ergo poteſtatem infernis hoſtibus formidandam dicenda eſt Eccleſia communicare Exorciſtis, cùm eos per Epiſcopum inſtituit, tanquam ſuos miniſtros contra Rectores tenebrarum; atque adeò, & ſi quis non acquieſcat communi Theologorum ſententiæ, poteſtatem hanc conferri ex vi Ordinis tanquam Sacramenti, fateri ſaltem debet conferri ex voluntate Eccleſiæ, cùm ait formans Exorciſtam; *habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos.*

Alterum, quod opponitur, eſt, planè conſtare non eſſe contra Dæmones ſatis efficacem poteſtatem hanc Exorciſtæ, dum hujusmodi præceptis non rarò illi reipſa reſiſtunt. Sed reſpondetur reſiſtentiam diabolicam præcepto Exorciſtæ non oriri à virtute, quam habeat Dæmon in ſe contra poteſtatem Miniſtri Eccleſiæ, ſed oriri ex defectu

diſ-

dispositionum, quas legitimum exercitium hujusmodi potestatis requirit, vel in Agente, id est in Exorcista, vel in subjecto, id est in maleficiato, ut clariùs innotescet ex his, quæ dicenda supersunt.

---

# CAPUT VI.

## *De dispositionibus, quæ requiruntur in Exorcista, ut curet Maleficia, & primum de ejus fide.*

QUilibet Minister, ut sui muneris partes laudabiliter impleat, methodum servare debet à Domino sibi præscriptum. Cum igitur sit Exorcista Minister JESU Christi & sanctæ Ecclesiæ delegatus contra infernos tyrannos, ut vidimus, ministerium suum exercere debet juxta instructionem sibi traditam, ut ejus verba illam habeant efficaciam, quæ promissa est à Reparatore nostro. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Hæc instructio tra-

ditur in Evangelio, in quo explicata est ratio, qua agi debet, & reduci potest ad duo capita, nimirum ad vivam fidem Exorcistæ, & ad rectum usum authoritatis ejus contra Dæmones. Explicabimus hic breviter primum, alterum seponentes in proximum caput. Primo loco requirit Deus ab Exorcistis fidem.

Cognoscitur id manifestè in responsione, quam Christus Dominus dedit discipulis, cùm interrogatus fuit, quare ipsi non potuissent expellere Dæmonem ab illo Lunarico, sicuti ejecerant ab aliis obsessis. a *Quare nos non potuimus ejicere illum?* Et ille quidem apertè respondit; *propter incredulitatem vestram*; propter vestram modicam fidem; quia si habueritis in vestro corde tantam fidem, quantum est granum Synapis, dicetis huic monti, id est, ut interpretatur Beda, huic obstinato & superbo Dæmoni: discede hinc, & statim discedet. *Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & trans-*

a *Matth. 17. 18.*

*transſibit.* Sed quid hoc nomine fidei ſignificatur, ne decipiamur ſimilitudine vocabulorum? Tria ſignificantur, ut in ſimili docet Suarez de fide *diſp 8. ſect. 1. nu. 3.* Primò Divinam Omnipotentiam indubitatè credere, & veritatem promiſſionum ejus, cùm enim Chriſtus ſuis propriis verbis promiſerit Eccleſiæ, & per illam Exorciſtis, non defuturum ſuum auxilium illi præcepto, quo imperabitur Dæmonibus nomine ſuo, ejus divinum promiſſum deficere non poteſt. *Ipſe Dominus aſcendens in cœlum promiſit, ſe nunquam illorum invocationi defuturum dicens, in nomine meo Dæmonia ejicient, ait Alphonſus de Caſtro. V. Exorciſ.*

Alterum, quod continetur in hoc vocabulo fidei, eſt, indubitatè credere prædictam Omnipotentiam Dei & veritatem ejus promiſſionum hac peculiari in re, quam Exorciſta habet præ manibus, nempe ſibi obedientem fore Dæmonem, & in illis circumſtantiis adeſſe, quicquid ad hoc obtinendum neceſſarium eſt. Non nego tamen ſa-

tis esse, si hujusmodi judicium sit moraliter certum, & quantum sufficit ad excludendam omnem dubitationem, quæ digna sit reprehensione, & qua destruatur debita confidentia: satis est itaque si Exorcista certò credat cum hac conditione à Dæmone videlicèt sibi obediendũ, si adsint ea, quæ requiruntur tum ab Exorcista, tum à maleficiato, & simul prudenter existimet hæc omnia reipsa adesse; Tandem tertium, quod concluditur in hoc vocabulo fidei, est quædam fiducia, quæ oritur in voluntate, & etiam ipsa dicitur fides, transferendo nomen causæ ad effectum, ut ait a sanct. Thomas, & provenit tum ab illa fide, velut universali, quam primo loco exposuimus, & qua credimus Deum Omnipotentem esse & veracem, tum ab eadem fide, quam exercemus in re particulari, & quam secundo loco numeravimus. Totum id continetur in vocabulo fidei, quæ necessaria est Exorcistæ, & hæc licèt pendeat ab auxilio gratiæ, nihilominus videtur fermè esse in nostra potestate, eam

a 1. 2. 9. 40. a 2. ad. 2.

eam tali auxilio obtinere, & ſuo tempore ejus actus exercere, dum ſcimus à Chriſto Domino pluries reprehenſos fuiſſe Diſcipulos, aliósque, quod hac fide carent, nunquam verò reprehenſi fuiſſent, niſi in eorum poteſtate fuiſſet eam fidem modo prædicto obtinere, & niſi ſua culpa digni fuiſſent ea repreſſione.

Verùm hic inſurgit duplex difficultas contra prædictam doctrinam: prima eſt; cùm pertineat vexatio diabolica ad malum pœnæ, & non ad malum culpæ, non potuit Chriſtus reddidiſſe ita efficacia præcepta Exorciſtæ, etiam adhibita fide debita, ut obtineant ſemper ſuum effectum; cùm vel publicæ, vel privatæ utilitatis intereſt, liberationem Energumeni non fieri.

Aliqui Doctores putarunt poteſtatem Exorciſtæ, quantum ad Dei legem ordinariam ſpectat, nunquam effectu ſuo carere, quod ſi reipſa dæmon non obediat Miniſtro, ajunt ex aliquo fidei defectu id ſemper oriri. a *Quod igi-*



a *apud Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 8. p. 2.*

*tur non ſemper accidat, ut invocato nomine JESU Dæmon egrediatur, minima fides ipſius invocantis eſt in cauſa.* ait Caſtro V. Exorc. Sed placet ſic clariùs reſpondere difficultati ſuperiùs allatæ. Jam dictum eſt, ut Energumeni liberatio fiat, opus eſſe, poteſtatem Exorciſtæ adhiberi cum diſpoſitionibus & circumſtantiis debitis. Una igitur ex circumſtantiis eſt, liberationem hujusmodi eſſe utilem bono tum privato animæ, tum publico Eccleſiæ. *Non petitur in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis* ait ſanctus Auguſtinus, & ita poſſumus dicere etiam nos. Non præcipitur in nomine Salvatoris, quicquid eſt contra rationem ſalutis. Formula imperandi Dæmonibus, à Chriſto præſcripta ſuis Miniſtris, eſt imperare in nomine ejus. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Quicquid igitur contrarium eſt huic nomini ſalutis, non includitur in formula præſcripta, & in Chirographo illo, quo ſtabilita eſt à Servatore noſtro ſuorum Miniſtrorum Jurisdictio. Ex hoc autem nihil deduci

duci potest contrarium doctrinæ antè expositæ de efficacia & necessitate fidei. Etenim quotiescumque non expedit liberatio Energumeni, vel Deus permittit defectum debitæ fiduciæ in Ministris, aut in maleficiato, a vel sine ulla eorum culpa ipse Deus non concurrit cum illis ad hujusmodi fiduciam habendam (semper enim ille primus excitat voluntatem humanam, ut laudabiliter confidat) vel auferet illis cogitationem aut opportunitatem procedendi ad ultimam expulsionem, vel tandem utetur aliquo ex innumeris illis modis, quibus voti compos fieri certò potest citra læsionem humanæ libertatis. Quare nunquam accidet, ut adsit debita dispositio fidei, & Exorcismus suum non sortiatur effectum.

Non omittam hic quoque hoc monere. Quandoquidem diabolica corporis agitatio conjungitur ferè cum plurima animi vexatione, rarò eveniet, ut liberatio à Maleficio utilis non sit animæ: quare ab hac exceptione satis infrequenti, sumendum non est argumen-



a *V. Abul, in c. 17. Math. qu. 163.*

mentum tepiditatis vel in fide, vel in remediis opportunis adhibendis, ſed expediet exiſtimare ſemper liberationem hujusmodi eſſe convenientem, quando manifeſta indicia nobis non oſtendant contrariam voluntatem divinam.

Altera difficultas contra ſuperiùs dicta ſita eſt in hoc: cùm requiratur prædicta fides tam in Exorciſta, ut diximus, quàm in Maleficiato, ut inferiùs dicetur, non apparet, quid ampliùs operetur hæc poteſtas Miniſtri à ſacro Ordine ipſi collata; nam etiam ipſa deficiente ſola fides per ſe ſufficit, ut debellentur omnes Dæmones.

Cum fides eſt in anima in gradu heroico dubitari non poteſt, quin apta ſit obtinere effectus etiam majores quacumque liberatione à Maleficiis, ſed prius dici poteſt, fidem minus perfectam conjunctam cum poteſtate Exorciſtæ ſufficere ad expellendos ab Energumeno Diabolos, quod efficere ipſa ſola non poſſet. Præterea poteſtas Ordinis eſt ex ſe valde efficax ad obtinendas in ſuo exercitio illas gratias actuales,

quæ

quæ neceſſariæ ſunt, ut ritè operemur: quare ad ſolvendam difficultatem propoſitam dici poteſt Exorciſtam à poteſtate ſibi collata, dum ſacro Ordine initiaretur, diſponi ad concipiendam fiduciam opportunam in actu exercendæ ſuæ poteſtatis contra dæmonem cogendo, & expellendo illum à loco ſuo. Tandem reſpondere poſſumus hanc eamdem poteſtatem Ordinis eſſe magnum fundamentum ad ſtabiliendum prædictam fiduciam etiam quatenus ad nos attinet cooperari divino auxilio. Etenim dum Exorciſta agnoſcit ſe veluti Miniſtrum Chriſti, qui munitus armis cœleſtibus deſtinatus eſt ab Eccleſia ad pugnandum contra Tartareum hoſtem, quam generoſitatem ſpiritus & fidei animo non concipit? *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini*, a poteſt ille quidem dicere veluti alter David huic Giganti Tartareo. Tu venis contra me inſtructus armis tuæ nequitiæ & tuarum fraudum, hæc ſunt arma prorſus vitrea, ſi comparentur



a *1. Reg. 17.*

cum illa insuperabili virtute, qua Deus assistet jussis meis, quibus tibi imperabo in ejus nomine, cujus nunc vices gero; Et hæc potest esse una ex rationibus, quare statutum fuit in Concilio Laodicensi a nullum audere Energumenos exorcizare, præter Exorcistas, qui sacro Ordine ritè suscepto redditi sunt ad hoc idonei ab Ecclesia: Existimantibus sanctissimis illis Patribus, nullum Christi fidelium absque fundamento debere se credere sufficienter instructum fiducia, quæ necessaria est, ut vincatur in hac pugna.

CA-

a *Can. 24. & Can. 26.*

# CAPUT VII.

## *De recto uſu poteſtatis requiſito in Exorciſta.*

SEcundo loco requiritur in Exorciſta rectus uſus ſuæ authoritatis, ita ut non prætergrediantur limites præſcriptos ſuæ poteſtatis. Tota poteſtas Exorciſtæ eò ſpectat, ut expellat Dæmonem à corporibus, quæ ille poſſidet; quo fit, ut illa præcepta, quæ vel opponuntur huic fini, vel ipſi non conducunt, ſint aut illicita, aut vana. Inter illicita numerabimus primò. Exorcizare abſque ullo ſigno probabili operationis diabolicæ; quoniam hoc pacto poteſtas, & Ordo Exorciſtæ exponitur manifeſto a, dedecori. Secundò percontari Dæmonem de rebus vanis, & inutilibus, & cum illo confabulari, quod eſt idem, ac velle cum illo commercium inſtituere, b. vel ab eo-

a *Laym. t. 9 c. 14. n. 5.*
b *Sanch. in dec. l. 2, c. 42. n. 25.*

eodem quærere res occultas, aut non necessarias, quod est habere illum tanquam Magistrum.

Tertio interrogare de a Authore Maleficij, quod idem esset, ac exponere nomen alterius gravissimæ infamiæ, & ansam præbere dœmoni, aliquem calumniandi; Cùm enim ille non teneatur respondere, credi potest fore, ut ille verum non dicat.

Quartò imperare b Dæmoni sub pœna excommunicationis, perinde ac si ille esset in Ecclesia militanti, & quasi hoc non inferat injuriam ipsi Ecclesiæ, dum Sacras ejusdem Censuras exponimus derisioni diabolicæ.

Quintò adhibere simulationes, ut clarè agnoscatur, an nè quis revera sit maleficiatus, an potius id ille sibi persuadeat, & etiam fingat: Exempli gratia adhibere ossa alicujus animalis, vel alicujus demortui, quasi essent sacræ reliquiæ: Super imponere capiti maleficiatorum librum profanum, ac si esset liber Exorcismorum, aut Evangelium, & his similia excogitare; quibus

a, *Sanch. l. c.* b *Sanch. 16. n. 32.*

bus si fortè qui curandus est, perturbetur, & molestiam aliquam præseferat, opinantur aliqui, evidenter colligere omne ejus malum esse fictum, & à phantasia. Verum id nullo modo fieri debet. Primò, quia via hæc agnoscendi veritatem est indecora; Dedecet enim Ministros, quibus est virtus terrendi Diabolum, uti fraudibus & mendaciis. Deinde, quia hujusmodi via inutilis est fini, qui quæritur, nimirum patefaciendi veritatem; Nam Dæmon, qui optimè novit, quomodo se res habeat, facilè potest eludere fraudem fraude, &, ut assequi possit, quicquid tantopere desiderat, nempe latere, fingere potest, se valde pati ab applicatione, & contactu mentitarum reliquiarum, ne maleficiatus, & circumstantes confugiant amplius ad remedia salutaria Ecclesiæ, & existiment, malum diabolicum esse malum imaginarium.

Inter vana & superflua primò numerabimus interrogare Dæmonem, an homo ille sit verè maleficiatus, nam, cùm pro certò habeatur, vice illius homini

minis Dæmonem loqui, nonne deridendus erit, qui velit interrogare de re, quam sumit pro non dubia?

Secundò relegare seriò Dæmonem in aliquam solitudinem, illúmque ibi alligare; quia Christus Dominus promisit quidem, se auxiliaturum, ut ejiciatur à corporibus Dæmon, non ut relegetur. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos. Math. 10.* Ex quibus verbis deducitur, ut adnotat Abulensis, totam potestatem communicatam Exorcistis in Dæmones in id unum tendere, ut eos ejiciat à Corporibus. a *Potestas eorum se extendebat solum ad ejiciendos eos à Corporibus.* Nec dicas, ab Angelo Raphaele relegatum fuisse Asmodæum in Ægypti deserta, ut narratur in Tobiæ libro, quia Angelus superior, sua virtute naturali detinere potest in aliquo loco Angelum inferiorem, quod fieri nequit ab Exorcista.

Tertiò, præcipere Dæmoni (quod quidem à nonnullis fit) cæterorum corpus illud agitantium, Duci, & Antesi-

a *q. 16. in c. 10. Math.*

teſignano, ut reliquos ſocios ſecum abducat, vel præcipere Lucifero, ut eos expellat; ſin autem hi fuerint contumaces, jubere ab eo magis cruciari. b Hoc præceptum juxta opinionem magis c probabilem eſt illicitum, quia petit beneficium à Dæmone, ſed etiam ſi licitum eſſet, ut nonnullis placet, quis eorum levitatem non videat, dum ille Exorciſta, qui à Dæmonibus minoribus & inferioribus obedientiam extorquere non poteſt, exigere contendit illam à Dæmonibus ſuperioribus, & qui timet, ut ita dicam, ſatellites, vult increpare eorum Ducem?

Quartò, inter vana & ſuperflua à nonnullis numeratur, interrogare Dæmonem de ſuo nomine, & an ſint plures, an unus tantùm in eo Corpore; de cauſa, quâ invaſerit maleficiatum, de die, & hora, quâ ſit eum relicturus; & ubi condita ſint maleficij ſigna, & ſimilia. Verùm id quanam ratione damnari poteſt ut ſuperfluum, dum probatur gravibus Auctoribus apud Sanch.

b *Palans de Adjur. diſp 4. p. 4. n. 9.*
c *Sanch. l. c. n. 2.*

Sanch. *in Decal l. 2. c. 42. n. 23.* & dum Rituale Romanum admittit; immo lex in praxim has interrogationes deducit? *Quare* dicendum erit, eas, ſicuti abſolutè neceſſariæ non ſunt expellendo ſemper dæmoni, ac deſtruendo Maleficio, ita aliquando eſſe valde utiles. Itaque interrogare Dæmonem de ſuo nomine prodeſſe poterit, ut Exorciſta ſciat, quem ex illis execrandis ſpiritibus alloqui debeat; Interrogare de numero prodeſſe poterit, ut ſciatur, an ſigna Maleficij plura ſint, an unum tantùm: interrogare de cauſa invaſionis prodeſſe poterit, ut cognoſcatur, an maleficium factum ſit ad tempus, an in perpetuum; Interrogare de die & hora diſceſſionis prodeſſe poterit, ut ſciatur, quomodo inter Dæmones, & maleficium conventio facta ſit & pactum: Pariter ſcire ſigna Maleficij, & ea deſtruere, & comburere prodeſſe poterit, tum ut diſſolvatur idem pactum, ſi hac conditione forte initum fuit, (*Leſſ. l. 2. c. 44. dub. 6.*) tum ut diſponatur meliùs maleficiatus, certámque putet ſuam liberatio-

rationem. Cæterum nihil horum poteſt dici prorſus neceſſarium Exorciſtæ, qui benè inſtructus ſit fide, & noverit poteſtatem, quam à Chriſto, & ab Eccleſia recepit, dum Sacro Ordine initiaretur, ut diximus: quare ſcire negligens nomen Dæmonis, cauſam ejus ingreſſus, numerum, conventiones factas in Maleficio, & alia hujuſmodi, magno impetu actus ejuſdem fidei, aliquando abſolutè imperabit in Nomine JEſu Chriſti omnibus Spiritibus, qui corpus illud exagitant, licet ibi adeſſent omnes Diaboli; riſu excipiet omnes eorum conventiones; nihili faciet ſigna Maleficij quærere, ne ulla in re voluntatem dæmonis obſecundet, qui per hujuſmodi artes, & machinamenta tueri contendit poteſtatem ſuam, & remorari, vel impedire Exorciſtæ poteſtatem, cui ſubeſſe cogitur. Ita refert D. Hieronymus in vita S. Hilarionis, aſſerente Dæmone ſe non poſſe exire à Corpore cujuſdam Puellæ, niſi ab Oſtio domus, quam hæc incolebat, ſublata fuiſſent ſigna Maleficij, quibus obligatus fuerat fœminam cruciare; his ne-

neglectis, & nulla interposita mora, sanctum Virum imperasse nefario Dæmoni in virtute Nominis JEsu Christi, eúmque statim expulsum fuisse.

Proinde ut hactenus dicta paucis complectamur, potestas ejiciendi Dæmones, quæ facta est Exorcistis, non ficta est in longis precibus, & prolixis Exorcismis recitandis super Energumenos, excipe preces & Exorcismos, & formam traditam in Rituali Romano, quæ omnia maximi facienda semper ab Exorcistis, nemo sanæ mentis unquam vocabit in dubium; sed hoc unum requirit, ut imperetur Dæmoni in nomine JEsu Christi, vel sanctissimæ Trinitatis, quod necessarium, vel utile est, proposito fini expellendi ab obsessis corporibus Dæmones; Confirmante interim Exorcista hæc præcepta vivida cognitione, tum authoritatis suæ, tum muneris, quo fungitur tanquam Minister Dei, tum demum victoriæ, quam Christus Dominus ab omnibus infernis hostibus reportavit. Sanctitas autem morum, jejunium, & oratio, de quibus fit mentio, cùm dicitur;

tur: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejnnio.* Math. 17. Eousque necessaria sunt, ut fides hæc validissima impetretur, quæ omnibus tartareis potestatibus dominatur. Abulensis *in c.* 17. Math. *q.* 171.

---

# CAPUT VIII.

## *De Dispositionibus, quæ requiruntur in Maleficiato, ut liberetur à Maleficio.*

ILlæ dispositiones, quæ requiruntur in Exorcista, ut efficacem reddat suam potestatem, requiruntur in Maleficiato magis, quàm in quolibet alio: Nos verò ut rem aliquo pacto ordinemus, eam in quatuor partes distinguemus; Exponemus, quomodo Maleficiatus disponi debeat in iis, quæ spectant primò ad Deum, secundò ad Exorcistam, tertiò ad Dæmonem, quartò ad seipsum.

Ex iis, quæ spectant ad DEum, fides, & fiducia necessaria multo magis est

Male-

Maleficiato, quàm ipſimet Exorciſtæ; Quam ob rem, cùm Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis, eorum incredulitatem fuiſſe cauſam, cur non potuerint ejicere Dæmonem à puero illo Lunatico; *Propter incredulitatem veſtram*, ut ante obſervatum fuit, multò acriùs increpuit poſtea Parentem ejuſdem pueri, & qui eum comitabantur, appellans eos generationem incredulam, & perverſam, ac tædio affectus cum illis verſandi, eóſque diutiùs tolerandi, ait: *O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum, uſque quò patiar vos.* Interea debet Maleficiatus attentè conſiderare, DEum eſſe ſummè potentem, ut expellat repentè mille legiones Dæmonum, etiamſi à totidem vexaretur, abſque minima eorum reſiſtentia, & eſſe infinitè ſapientem, ut cognoſcat omnes fraudes, & actus, quibus celare ſe vellent illi hoſtes Inferni; Et eſſe infinitè bonum, ut res à ſe creatas eruat à quolibet malo. Et eſſe ſummè fidelem, ut ſtet promiſſis; Quare cùm fidem ſuam obſtrinxerit, affirmans ad expellendos ſpiri-

tus

tus rebelles ab obſeſſis Corporibus ſe opem ſuam præbiturum iis præceptis, quæ à ſuis Miniſtris in ſuo nomine proferentur: *In Nomine meo Dæmonia ejicientur: Dedi vobis poteſtatem ſuper omnia Dæmonia*; Dubitari non poteſt, quin hæc promiſſa ſit impleturus. Ab hac conſideratione orietur illa fiducia, quam etiam ſuperius diximus ſignificari Nomine fidei, & eſt quædam robuſta ſpes auxilij Divini orta in voluntate ab actibus repetitis ejuſdem fidei, per quam anima pro certo habet, DEum non ſolum poſſe ob ſuam Omnipotentiam, ſed etiam velle ob ſuam bonitatem, & fidelitatem concedere, quicquid expediet ſaluti noſtræ. Tandem hæc ipſa diſpoſitio fidei, vel fiduciæ, ſemper augeſcet, ſi Maleficiatus confugiat ad implorandum precibus Divinum auxilium; magis enim, magiſque in dies confidet, DEum adfuturum auxilio ſupplicantis, & impugnaturum Tartareos illos hoſtes, qui odio habent, & blaſphemant Creatorem ſuum, & incitati hoc odio ad res creatas lædendas ſeſe convertunt.

Hæc

Hæc autem dispositio fidei, & fiduciæ debet secundo loco à Maleficiato extendi erga Exorcistam esse Ministrum Dei, & ejus actiones præcipuè tribuendas Deo, in cujus nomine ille agit, & imperat: Quare Dæmones cogentur illi obedire; Si enim non obediretur Ministris Dei, non obediretur ipsi Deo. Proinde sicuti Deus certo concurrit cum Sacerdote absolvente pœnitentem, cùm hic est sufficienter dispositus; Ita pariter certò concurrit ad liberationem Maleficij, quotiescunque nulla desit ex debitis dispositionibus. Neque verò, si quando contingat, ut præcepta Exorcistæ suo careant effectu, debilitari propterea debet fides, vel fiducia in Exorcista, aut in Maleficiato; Imò debet potiùs augeri; Siquidem quod Dæmones, vel illi parere cunctentur, vel parati sint, vel omninò detrectent hanc obedientiam, prorsus oritur à majori, vel minori eorum dispositione. *Quod autem non semper fiat, ut invocato Nomine Jesu Dæmon egrediatur, minima fides ipsius invocantis est in causa, nam si per-*

*si perfectè credidisset, hæc & majora feciſſet.* a Ita affirmat Alphonſus de Caſtro magni nominis Author, & probat adnotando promiſſionem illam: *In Nomine meo Dæmonia ejicient*, pertinere ad perfectam fidem juxta antecedentium verborum ſenſum: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo &c. & ad hos ſolos in fide perfectos Dei promiſſio pertinere videtur:* Eodem modo S. Cyprianus: *Adjurati Dæmones*, ait, *vel exiliunt* b *ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat.*

Præterea erga Exorciſtam perfecta intellectûs, & voluntatis, & exequutionis obedientia neceſſaria eſt. Et ita agnoſcendo eum, ut Miniſtrum Dei, & omnia illius juſſa diligentiſſimè exequendo voluntatem ſuam ad Exorciſtæ voluntatem accomodare debet Maleficiatus, expoliando ſe, ut ita dicam, omni propria voluntate, ut majora

D adi-

a *Lib. 6. adver. hæreſ. V. Exorciſ.*
b *Tract. 4. de Idol. vanit.*

adimat Dæmoni arma, quibus nos oppugnat, nempe noſtram inordinatam voluntatem; Proinde etiam ipſe Maleficiatus confirmet integrè præceptum quodlibet, quo Exorciſta imperet Dæmoni, nec quolibet interno animi motu averti ſe ſinat ab eo, quod Dei Miniſter proponit, vel imperat, imò expediet etiam, hos ipſos animi motus apertè manifeſtare, ut Dæmon majori probro afficiatur, ejúſque machinamenta ad nihilum redigi poſſint.

Tertio loco extendet Maleficiatus hanc ſuam fidem erga vires Dæmonis, ſibi in animum inducens, & ſi Malignus ille naturaliter tanta polleat vi, nihilominus propter peccatum ipſius, ab JEſu Chriſti pœnis, & morte imminutam eſſe hanc illius poteſtatem, ita ut exerceri non poſſit juxta furorem & rabiem Dæmonis, ſed ſolum juxta Divinæ providentiæ permiſſionem, ad Divinam Gloriam, & ad rerum creaturarum bonum & commodum, ut ante dictum eſt.

Po-

Postremò de seipso credere debet Maleficiatus, malum suum à vexatione diabolica oriri, qnando id illi affirmatum fuerit ab Exorcista, alioquin si infirmitatem suam à Causis naturalibus partam putare velit, illos fidei, & fiduciæ actus producere non poterit, qui requiruntur, ut vidimus, tanquam dispositio ad efficaciam præceptorum, quæ ab Exorcista contra Dæmonem fiunt pariter, dum illius opinio Exorcistæ judicio adversa est, non pugnabit una cum illo contra Dæmonem, sed potius una cum Dæmone contra illum. Et quoniam plerumque evenit, facultatem aliquem vexandi factam Diabolo, esse in pœnam alicujus criminis; Maleficiatus diligenti Confessione & repetitis Contritionis actibus, non solùm omnem culpam gravem, sed peccatorum reliquias destruere omni studio curare debet. Refert Joannes Diaconus in vita S. Gregorij, tres à Dæmone agitatos, simul ac Sancto Pontifici crimina sua confessi fuerunt, protinus liberatos fuisse, cùm verò u-

nus ex illis octies negasset furtum à se factum, ait idem Author, octies ab agitatione diabolica vexatum fuisse, donec patefacto crimine, redditáque re per furtum sublata Dæmon recessit; Quod si curandum est, ut veteres culpæ deleantur, multo magis cavendum, ne novæ admittantur: Quare Maleficiatus non sinat se à Dæmone decipi, credens maleficium ab hoc, vel illo homine sibi factum fuisse. Primò, quia non solùm facile est in hoc decipi, imò etiam in re tanti ponderis, & quæ secum trahit tantum dedecus & infamiam, facile est temerè judicare; deinde quia facilè est odij & vindictæ actus concipere; Tandem, quia quicumque fuerit Maleficus, si Maleficiatus fidem & fiduciam ante explicatam habuerit, & Exorcistæ mandatis perfectè obedierit, omne Maleficij lígamen statim solvetur, atque omnis diabolica vexatio cessabit.

(***)

CA-

# CAPVT IX.

## *Proponitur Methodus ſervanda ab Exorciſtis in curatione Maleficiatorum.*

TRes ſunt Exorciſtæ operationes in Maleficiorum cura ; Prima dicitur Diſcretiva , qua videlicet diſcernendum eſt , an malum ſit naturale , an diabolicum. Secunda dicitur inſtructiva , quâ diſponendus eſt Maleficiatus ad exercendam fidem , & ea omnia , quæ ejus curationi neceſſaria ſunt. Tertia dicitur expulſiva, quâ Dæmon ab inſeſſo corpore eſt expellendus ; His tribus partibus tria reſpondent præceptorum genera , quibus uti debet Exorciſta contra Dæmones ; videlicet præceptum explorativum , lenitivum & expulſivum. Utile igitur erit præſertim tyronibus Methodum

facilem hæc exequendi proponere : à prima igitur parte , nempe à Præcepto explorativo incipiemus ;

Si Exorciſta nullum evidens , ſed ſolùm probabile vexationis diabolicæ ſignum deprehenderit , verúmque , ſicuti neceſſe eſt , agnoſcere voluerit , ut Maleficiatum diſponere poſſit ad veræ fidei actum ; ita ſe geret. Poſtquam brevem precationem una cum ipſo Maleficiato ad Deum effuderit , & Apoſtolorum Symbolum recitaverit , & Spiritum Sanctum invocaverit , aſpiciens fixis oculis infirmum , manúmq; ejus capiti imponens , ſecretò præcipiat Dæmoni hac conditione , ut ſi ipſe illius mali eſt Author , ſignum aliquod edat , agitando tunc hominem illum coram ſe. Præceptum iſtud ita fermè fieri poteſt. *Ego N. Miniſter Chriſti & Eccleſiæ in Nomine ✠ Eſu Chriſti præcipio vobis Spiritus immundi , ſi qui latetis in corpore hujus hominis à Deo creati , vel ſi quomodo eum vexatis , ut ſtatim mihi præbeatis aliquod ſignum evidens , & certum*

*præ-*

*præsentiæ vestræ agitando hominem hunc, vel coram me efficiendo aliquid ex ijs, quæ prius me absente efficere in eo soliti eratis.* Hoc præceptum fieri debet viva fide, & excitando memoriam muneris illius, quo Exorcista fungitur, nempe Dei Ministri, & Ecclesiæ instrumenti contra Dæmones; ut autem sit efficax, expediet persuadere ægroto, ut hanc ipsam fidem concipiat, & illum certiorem facere illius potestatis, quam ob Sacrum Ordinem Exorcista in dæmones habet, & Diabolo nullas vires esse, ut resistat, cùm illi imperatur in Nomine JEsu Christi. Præterea utile erit, non solùm proferre præceptum hoc linguâ latinâ, sed etiam voce adeò submissa, ut ægrotus percipere non possit; & ita agnosci poterit, an verè à Dæmone corpus illud agitetur. Tandem, sciendum quoque est, reperiri aliqua Maleficia, quæ dicuntur potestativa, in quibus Dæmon nec invadit membra, nec assiduè inest Maleficiato, sed solùm certis temporibus redit ad illum

vexandum, cùm igitur fieri possit, ut adveniente Exorcista, malignus & callidus hostis recedat, ne cogatur quæsitum signum edere, oportet ab Exorcista non solùm Dæmonem præsentem adjurari præcepto suo, sed simul imperari viva fide, ut si fortè ille adsit, statim accedat, & exequatur, quicquid illi præcipitur, videlicet se manifestet, aliquid ex iis efficiendo, quæ aliàs efficere solet. Hæ cautiones sunt necessariæ, quia nobis res est cum Inimico, qui astu & calliditate eò pervenit, quo arte & virtute pervenire non potest, sin autem ea fides adsit, quæ requiritur tum ab Exorcista, tum à Maleficiato, nullus dubitandi supereſt locus, quin Dæmon postulatum signum edere teneatur, sine quo ulteriùs procedi non potest, cùm statui nequeat, an malum à diabolo fiat.

(***)

CA-

# CAPVT X.

## *Proponitur Methodus disponendi Maleficiatum ad liberationem.*

IN hac secunda parte magis quam in qualibet alia laborandum est Exorcistæ, ut finem sibi propositum obtineat liberandi Maleficiatum: excitanda proinde est in illo fides & fiducia in duplici via, nempè tum cognitione vivida causarum, unde diximus oriri fidem & fiduciam hujusmodi; tum experientia; revocet itaque in memoriam Exorcista munus ministri Dei, quod obit, certámque credat promissionem illam, qua Deus se potissimè auxiliaturum spopondit præceptis in suo nomine factis, & memor sit potestatis sibi communicatæ in Sacramento Ordinis; & ita pro certo habeat Dæmones resistere non posse, quando neque ex parte Exorcistæ, neque ex parte Maleficiati

fides desit; Eodem modo magnam in Maleficiato fiduciam excitare curet, qua ille certò credat adfuturum sibi auxilium Divinum; memorare itaque poterit, quanto amore Deus prosequatur res à se creatas, quàm facile sit illi eas adjuvare, quomodo promiserit à se id præstitum iri oportuno tempore; quomodo dum in terris degeret adhuc mortalis, nullum unquam rejecerit, qui ad illum confugerit imploraturus auxilium, præsertim contra Dæmones. Hæc eadem dispositio fidei & fiduciæ augenda est in maleficiato per experientiam hoc modo. Imperetur, ut dictum est, Dæmoni, ut aliqua ex vexationibus alias consuetis torqueat hominem illum, postea verò imperetur, ut desistat: Tartareus enim spiritus exequetur id subitò, quando adsit in Exorcista, & in maleficiato debita fides; Hic itaque videns hanc obedientiam ita promptam, magis magisque augebit fidem, majorémque spem concipiet liberationis suæ, dum considerat, eum, qui obedientes sibi Dæmones reddere potest in re illa par-

particulari, eamdem ab illis obedientiam exacturum esse alia in re, & si eos potest cogere, ut aliquid agant, cogere etiam posse, ut omninò recedant; Imo hac eadem de causa poterit Exorcista jubere, Dæmones obedire eidem Energumeno, qui proinde hoc præcepto nixus, & viva fide munitus, formans pollice crucis signũ supra vexatã illã partẽ corporis, ita dicat. *In Nomine JEsu Christi impero tibi Dæmon maledicte, ut discedas subitò ab hac parte, in qua modò me vexas, ita ut cesset repentè omnis dolor.* Huic præcepto obediet Dæmon, & ita obediendo magis magísque demonstrabit Exorcistæ authoritatem, & fidei efficaciam, & ipse Maleficiatus disponetur magis ad liberationem.

Non erit verò semper in omnibus hominum generibus par hic labor, ut in eos inducatur debita dispositio. In aliquibus enim, ut in rudioribus erit minor, in aliis major, præsertim in tribus hominum generibus, scilicèt in

magnis peccatoribus, in hominibus duræ cervicis, & natuialiter obſtinatis, & in iis, qui à primis ſuæ ætatis annis ſunt à dæmone obſeſſi. Ab his poſtremis incipere placet.

Ideo Chriſtus Dominus interrogare voluit Patrem juvenis à Dæmone, & quidem muto, vexati, *Quantum temporis eſt, ex quo ei accidit?* ut infelix Genitor, dum confiteretur, filium ſuum hujusmodi calamitate aſſueviſſe, tanquam conſueto naturæ morbo, cum uſque à primis annis in eam incidiſſet, majorem agnoſceret neceſſitatem ad Chriſtum confugiendi, & magis vivam fidem conciperet. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Proinde cùm genus hoc maleficiatorum aſſueverit aſſentiri cuicumque rei, quam excitando phantaſiam objicit Dæmon, & cùm habitum fecerit oppoſitum fidei & docilitati in maleficiato requiſitæ, neceſſe eſt deſtruere hujusmodi habitum actibus contrariis valdè intentis & iteratis, & præcipuè his duobus. Primò confugiendo ad Deum; ſe-

ſecundò deteſtando dæmonem & ejus fraudes. Plurimum tamen proderit, ſi Exorciſta aliquam precationem inſtituat, quæ ab Ægroto ſæpe ſepiùs recitetur, maximo pietatis & religionis ſenſu: ſatis autem ad rem videtur eſſe ea, quæ proximè ſequitur. *Domine mi JESU Chriſte refugium meum, conſolatio mea, meæque animæ ſpes, per tui ſanguinis merita ab hoc execrando ſpiritu me defendas neque tantas illi vires permittas, ut meam mentem, aliásque potentias meas inferiores ſuis fraudibus & mendaciis turbet: cordis mei imbecillitatem reſpice: malúmque habitum conſentiendi maligni inimici mei perſuaſionibus averte; & quoniam tuæ crucis virtute eum viciſti, oro, ut tuæ immenſæ miſericordiæ effectus experiar, ut in æternum te laudare valeam, Amen.* Pariter expediet aliquod breve dictum deſcribere, frequenter dicendum, quo ille deteſtatur dæmonem hoc ferè modo.

*O Execrande animarum deceptor, ô mei & tui Conditoris hoſtis, nunc à me diſcedas; tuis enim mendaciis fidem habere nolo; diſcedas in Nomine mei Domini JESU Chriſti, cui cor meámque animam dono.*

Hoc tempore formet ſæpe pollice ſignum Crucis ſupra cor & ſupra quamlibet aliam partem, quam Dæmon vexaret, atque his actibus aſſiduè iteratis diſponetur ad liberationem.

Alii verò, qui difficilè liberantur; quia difficilè ſinunt ſe rectè inſtrui, ſunt ii, qui naturaliter ſunt obſtinati; eo quod nunquam adduci poſſunt, ut credant, morbum ſuum oriri à Dæmone, ac proinde non à Medico, ſed ab Exorciſta petendam eſſe curationem. Et quidem, ſi quæ remedia ſpiritualia admittunt, ſi quos exorciſmos adhiberi ſinunt, utrumque præſtant in gratiam conſanguineorum & amicorum hujusmodi remedia proponentium, non impulſi deſiderio, ut per ipſa ſanentur, deficiente prorſus illis ea fide & fiducia; quæ eorum cura-

rationi necessaria est. Quod si convicti ab experimentis, quibus Exorcista detegit diabolicas operationes, hanc fidem concipiunt, vix discessit ille Exorcista, cum eorum fides deficit, & iterum credunt, quæ sibi placent. Contra hujusmodi homines, præter Orationis remedium, experientia adhibenda est, præcipiendum videlicèt est Dæmoni, ut modo hominem illum vexent, modo cesset à vexatione, & ita evidenter demonstrandum est, operationem illam penitus esse diabolicam. Ita quidem agendum est Exorcistæ, ut maleficiatus assuefiat revocare, & removere talem vexationem, imperando Dæmoni in Nomine JESU Christi, & conjungendo suam voluntatem voluntati & authoritati Exorcistæ. Sin autem aliquando Dæmones promptè sibi obedire non videat, vitio tribuat suæ modicæ fidei, à qua Dæmon resistendi vim accipit. Proderit etiam ab Exorcista maleficiati Domesticos in fide erudiri; ut ipsi quoque persuadere possint misero homini id, quod re-

revera eſt, eúmque adjuvare, ut infelicem conditionem ſuam agnoſcat.

Tandem tertium hominum genus, quod peculiari inſtructione max mè indiget, ſunt magni peccatores; iſti enim validiùs poſſidentur à Dæmone in ſuorum criminum pœnam. Horum remedium eſt Pœnitentia tum interior, tum exterior, qua Divinæ juſtitiæ ſatisfacientes, ſuam obtinent liberationem, diſponendo ſe ad recipienda illa efficaciora gratiæ auxilia, quæ requiruntur ad concipiendam vivam fidem & robuſtam fiduciam, quas toties diximus neceſſarias eſſe, ut præcepta contra Dæmonem pronunciata vim ſuam habeant. Præſcribat igitur Exorciſta huic hominum generi, ut Contritionis actus ſæpiſſimè eliciant, præterita ſcelera deteſtando, præſcribat Jejunium aliquod, vel aliam corporis afflictationem ipſius viribus accomodatam; mandet ut frequentiùs in Dei precationibus ſeſe exerceant, Sacra Templa inviſant, Sacramenta adeant; aliáque imperet, quæ magis ani-

nimam Deo conjungunt, & corpori ſunt moleſta.

In præſcribendis verò his aliísque animi corporísque exercitationibus caveat ſemper Exorciſta, nè plus æquo maleficiatum oneret, alioquin illi animus, ſalutísque recuperandæ voluntas deficiet; ímò animum ſemper illi addat, & cum eo agat vultu hilari & læto, non imitando illos, qui ſolent Energumenos verberare, & injuriis onerare dolorem dolori addentes, debitósque modeſtiæ terminos excedentes. Appareat igitur, ea à nobis præſcribi potiùs, ut conculcetur Dæmon, quàm ut maleficiatus affligatur. Proinde opportuni⁹ eſſe videtur contra Dæmonem ipſum agere, illum objurgando, eíque ſua damna, ſuásque pœnas exprobrando; quod cum audierit ipſe maleficiatus, fidem ſuam excitabit, & augebit. Aliquam hic formulam adjicere mihi placet.

*Nonne recordaris execrande Dæmon, te propter tuam ſuperbiam æterna ignei carceris pœna damnatum eſſe?*

*esse? An ignoras, te merum nihil esse, te nihil posse, & ne capillo quidem rerum creatarum nocere posse, nisi per Deum tibi liceat?*

*Nonne recordaris, te à Cruce Christi Domini victum fuisse, nec esse, cur tuas fallacias formidet, qui in Divina protectione confidit? licèt sim peccator, nihilominus non ignoras, me esse Dei Ministrum, eaq; in te potestate praditum, ut etiam invitus mihi cogaris obedire, & me timere.* Hæc alaque verè dicta prodere, ut pudore afficiatur malignus spiritus, & simul disponatur is ad liberationem, qui difficilius curaretur.

Concludam hoc Argumentum tradendo duo monita Exorcistis, qui adhuc essent inexperti. Primum de loco, alterum de tempore exorcizandi. Quoad locum, sicuti immorandum non est cum fœminis, vel in loco solitario, vel remotis arbitris, ut omne periculum & omne peccandi exemplum eviretur, ita non expedit elige-

re

re publicum Templum, quo magna concurrat populi Turba, visendi magis, quàm pietatis & religionis studio, & ubi modica multorum fides posset facilè inservire Dæmoni, ut validè ac diutiùs resistat. Proinde videtur locus aptior esse aliquod templum solitarium, vel nisi aliunde prohibeatur secretum Oratorium, aut ejusdem maleficiati Domus, in qua ante aliquam sacram imaginem, & adstantibus aliquot ægroti amicis & Consanguineis, facilè poterit tam hos, quàm illum, & in fide erudire, & habere Amicos non contrarios operationibus & præceptis, quibus adjurandus est Dæmon. Quoad tempus verò exorcizandi, nolunt aliqui id fieri æstate, neque Autumno, timentes, ne Dæmones aliquam contra Campos tempestatem excitent: sed hac in re isti nimis tribuunt Dæmoni; quasi verò, si vim ille non habet, ut contra Exorcistæ Præcepta eo in Corpore permaneat, quod semel insedit, inde expulsus nocere possit, & si Dei Minister malignum illum spiri-

ri-

ritum cogere poteſt, ut diſcedat, non poſſit eumdem cogere, ut abſque ullo damno, ac detrimento diſcedat. Quemadmodum igítur, ſi cubi vetitum ſit, ne palam & publico Miniſterio exorcizetur, obediendum eſt eo tempore, ita extra hanc circumſtantiam non eſt vanè timendum, quandoquidem eadem fide, iisdem præceptis, & eadem authoritate, adeo Dæmoni formidanda, turbinis, grandinis, procellarúmque nocumenta impediri poſſunt. Hoc quidem obſervandum eſt, quantum ad tempus, ne præceptis Dæmonem adjurare incipiamus eo tempore, quo maleficiatus eſt valde perturbatus, tunc enim ille animum non advertens inſtructioni, neceſſariam fidem non concipiet, neque incumbet, ut par eſt, ad ſperandum in Domino. Eadem de cauſa neque Exorciſta hujusmodi præcepta enunciare tunc aggrediatur, cum ipſe eſt turbatus, vel mente ſummopere vagatur, ſed pius ipſe ſe colligat, revocétque in mentem poteſtatem in ſacro

cro Ordine acceptam, poſtulet à Deo fiduciam inimico ſuperando neceſſariam, & in primis animi demiſſionem exerceat Chriſtianam, propriam agnoſcens indignitatem, neceſſitatémque auxilii ſupernaturalis, ut ab hoc bello victor redeat; atque his armis munitus, audax, & alacer ad pugnam contra infernos tyrannos proſiliat.

* * *



CA-

# CAPVT XI.

## *Proponitur Methodus ejiciendi Dæmonem per ultimum præceptum expulsivum.*

FInis omnium Exorciſtæ operationum eſt, expellere Dæmonem per authoritatem in Ordine acceptam, ut per præceptum in Nomine JEſu Chriſti pronunciatum; ideò multò magis cautè procedendum ei eſt, ne intempeſtivè præcepto hujuſmodi prolato, ſua hac authoritate abutatur.

At quomodo tempus hoc agnoſcetur? Duobus modis agnoſcetur; Primò, ſi facilè & aſſiduè Dæmon obediat alteri præceptorum generi, nempe lenitivo, à quo tum Maleficiati diſpoſitio conjicietur, tum imminutio virium, quibus Dæmon reſiſtere poſſet. Sin autem ſtatim ac Exorciſta ſpi-

spiritui maligno imperat, ut in partem cedat, vel in alia ad obsessi corporis membrum se transferat, ille obediat, & si hujusmodi obedientia videatur; statim ac ipse quoque Maleficiatus hoc ipsũ imperat, signum erit, omnia esse in ultima dispositione ad perfectam liberationem. Secundò; hæc dispositio agnosci potest interrogando ipsum Energumenum, & eam colligendo ex illius responsis. Priùs igitur Exorcista interroget, quidnam in phantasia objici sibi sentiat à Dæmone, & quomodo ei resistat; Dæmon enim ad consuetas suas fraudes confugiens maleficiatorum menti suggerere solet; Primò, ipsum esse obstinatum, & nunquam fidem habiturum; Secundò, Dæmonem simulaturum discessionem, nunquam autem verè discessurum; Tertiò, discessurum quidem, sed non modo; Quartò, nolle Deum, ut discedat; Quintò oportere priùs maleficij signa reperire, quibus alligatus est Dæmon; Sextò denique, si discedere coa-

coactus fuerit, allaturum læthales dolores maleficiato.

Hujusmodi opiniones excitat malignus hostis in animo Maleficiati, ut fidem impediat, si autem illis resistet Maleficiatus, clarè conjicietur, eum proximè dispositum esse, ut liberetur: Si enim Dæmonem ampliùs non timebit, at contemnet risu excipiens has ipsas opiniones, nullóque pacto responsum illis dare curabit, & contra Dæmonem protestabitur, nolle se loqui cum Apostata rebelli, benè dispositus erit: Præterea, si liberari maximopere optabit, & spontè, & humiliter de hoc Exorcistam rogabit, & si mentem semper magis tranquillam, conscientiam semper magis quietam, imaginativam semper magis claram, loquendi usum semper magis liberum experietur, indicium erit, eum ad liberationem benè esse dispositum.

Pariter ejusdem liberationis signum certum colligi poterit ex modo, quo Energumenus se gerit erga Exorcistam, nempe si magnam illi exhibebit reve-

ren-

rentiam, quoties eum videt, ſi illi facie lęta accedenti obviam ibit, ſi gratias aget laborum, quos ille, ad eum liberandum, toleravit, ſi de ſua liberatione loquitur, tanquam de re certa, deſiderans, ut tempus illud citò adveniat, ſi demonſtrabit eum DEI Miniſtri loco habere, magníque facere, ut par eſt, authoritatem ejus, & in malignos ſpiritus poteſtatem; Tandem eadem diſpoſitio conjicietur ex ijs, quę ſpectant ad Deum, nimirum, ſi Maleficiatus indignum ſe putet, qui liberetur, ſeque commendabit piorum virorum precibus, ut hanc gratiam obtineant, ſi Domino gratias aget, cùm meliùs ſe habuerit, ſi libenter ſermones audiet de illis cauſis, quibus augetur in corde noſtro major, ac major confidentia in divino auxilio, & in divinis promiſſionibus. Hic eſt ille ſtatus, in quo conſtitui debet Maleficiatus, priuſquam Exorciſta utatur contra Dęmonem ultimo pręcepto expulſivo. Cùm igitur huc pervenerit Maleficiatus, & ab examine antecedenti,

& ab experimentis factis agnoſcatur tum ejus diſpoſitio, tum obedientia, quâ maligni ſpiritus parere coguntur præceptis Exorciſtę, ſtatuetur dies liberationi deſtinata, multum autem expediet pręmittere ipſi aliquod jejunium, vel aliquam aliam corporis afflictionem, & pium aliquod Orationi Exercitium, ut impetretur tum Exorciſtæ, tum Maleficiato totum id, quod deficeret fidei, & fiduciæ, quæ inferno hoſti expellendo eſt neceſſaria; & ita intelligendum eſt, quod Chriſtus Dominus dicit: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi in Oratione & Jejunio*: Quamvis enim abſolutè loquendo ad ejectionem hujuſmodi ſufficiat poteſtas conjuncta cum diſpoſitionibus, de quibus hactenus loquuti ſumus; Nihilominus neceſſe eſt, aliquando prædictas diſpoſitiones deeſſe, niſi aliquo voluntariæ caſtigationis, & pietatis exercitio locus illi præparetur.

Cùm tamen aderit hora perficiendæ rei, duabus fraudibus ſolet Dæmon

opus

perturbare; Prima eſt, varios ſerere ſermones, loquendo per os Energumeni, ut, quoad ejus fieri poteſt, Exorciſtam illaqueat, cogátque mente vagari, quare proderit ſilentium illi indicere, imitando Chriſtum Dominum, qui, ut refert D. Lucas, *Non ſinebat ea loqui*; Atque hoc tam maximè agendum eſt, cùm Dæmones Exorciſtam laudárent, quod facere plerumque ſolent, ut eum ad jactationem & ſuperbiam inducant, ſimilémque ſibi reddant, atque adeo indignum, per quem DEus miracula & prodigia efficiat. Altera fraus eſt, Maleficiati phantaſiam perturbare, ne aures advertat, eósque producat voluntatis actus, qui requiruntur. Hoc impedimentum quoque tollitur præcepto, &, ut majorem vim habeat, proderit illud vulgari lingua pronunciare, ut probè intelligatur, & ab ipſo Maleficiato confirmetur. *In Nomine JEſu Chriſti impero tibi ô execrande Dæmon! ſive unus, ſive plures eſtis, ut, cùm debeatis ab hoc homine*

*mine discedere, eum in statu naturæ suæ consentaneo relinquatis, ejus potentias non turbetis, neque sensus interiores, neque exteriores, nec ullam ejus corporis partem crucietis, neque ullum sive illi, sive alijs, vel ante, vel post discessum damnum, & noxam inferatis.* Tandem utile erit curare, ut Maleficiatus fidei suæ breviter & frequenter innovet actus hoc ferè modo.

*Credo, ab JEsu Christo, & à sancta Ecclesia traditam esse Exorcistæ, cùm Ordinem susciperet, potestatem in vos omnes ô execrandi Dæmones! & per ipsum, quando ego meis partibus non desim, vos omnes hinc certò ejiciendos esse, ita ut nullam me amplius vexandi vim habeatis.*

*Credo etiam, vos ô nefarij Spiritus cogendos esse, ut etiam mihi obediatis, vósque discessuros esse in virtute illius promissi, quo Christus Dominus pollicitus est, Dæmones expellendos esse à quolibet, qui in ejus sanctissimo Nomine vivam fidem habeat.*

*In*

*In Nomine meo Dæmonia ejicient; Credo insuper, vos ô Maligni victos esse à pœnis & morte JEsu Christi, nec habituros vim ullam, me deinceps vexandi, si ego in ejus nomine & divina protectione perfectè confidam. Credo, Deum ut Omnipotentem posse, ut infinitè sapientem scire, ut infinitè bonum, & fidelem in suis promissis, velle liberare me à vestris viribus, O Tartarei & execrandi spiritus! qui adeo studetis, nocere tum Corpori, tum Animæ meæ, scio, me omne malum meruisse meis peccatis, sed modò eorum me pœnitet, & hac ipsa de causa adimi vestræ potestati desidero, ne iterum ad peccandum redeam.*

Absolutis his imperet Maleficiato Exorcista, ut genua flectat una cum omnibus adstantibus, atque invocato Spiritûs Sancti Auxilio, & Sanctissimæ Virginis, Angeli Custodis, aliorúmq; Sanctorum Patronorum intercessione ita præceptum pronunciet.

*Ego Minister JESU Christi, & Ecclesiæ, in Nomine sanctissimæ Trinitatis, atque in virtute ejusdem JEsu Christi, impero vobis, O Spiritus execrandi, quotquot hactenus vexastis hominem hunc à DEO creatum, ut nullâ interpositâ morâ ab eo discedatis, neque ad eum, sive interiùs, sive exteriùs vexandum amplius redeatis, neque ullam in ejus Corpus potestatem amplius habeatis, quia sic vobis impero in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.*

Præceptum hoc fide maximè vivâ proferendum est ab Exorcista ; Priùs tamen revocet in memoriam JESU Christi promissa, munus, quo tunc fungitur, in quo quidem merum est instrumentum Christi Domini, qui suâ Divinâ Omnipotentiâ totum opus efficere debet : Quare Dæmoni imperet, quasi victoriæ securus, & contra illum agat tanquam Judex contra reum ligatum,

tum, & convictum. Nihilominus, quoniam suæ potestatis effectus à dispositionibus toties memoratis dependet, ut certior fiat, an Dæmon ab homine illo verè recesserit, jubeat eum sedere, atque hilari vultu dicat, se quidem judicare, eum jam curatum esse, majoris tamen cautionis causa ultimum adhuc experimentum faciendum esse, ut si quis error interveniisset, suppleri possit. Interroget igitur hominem, an certò credat forè, ut Dæmones obedire debeant, & respondente illo, à se id planè credi, tunc proferat præceptum hac conditione:

*In Nomine JESU Christi impero tibi Spiritus execrande, ut si quam potestatem habeas vexandi, ut ante, hominem hunc à Deo creatum, indicium mihi præbeas absque ulla mora eum vexando.*

Si prolato hoc præcepto nullum patitur homo ille ex iis effectibus, quos priùs experiri consueverat, judicari

poterit prorsus à Dæmone liber, & Exorcista Deo gratias agens una cum illo, admonénsque, ut Sacramenta frequentet, & peccata fugiat, sanum relinquat nullis acceptis muneribus, vel oblationibus, ne sui Ministerij exercitium adeò inferis omnibus formidabile avaritia commaculet. Sin autem Dæmon rursus aliquod præsentiæ suæ signum ederet, eo tempore nil aliud agat, solummodo Maleficiatum admoneat ad ejus liberationem, majorem fidem, & fiduciam requiri, clariúsque se agniturum alia vice, unde oriatur defectus. Poterit etiam de hoc ipso defectu Dæmon interrogari, quando is cæteroqui per os Energumeni loqui soleat, accipiendo id tanquam viam utilem perfectæ liberationi, alioquin opere pretium erit, per orationem impetrare à Deo lumen, ut agnoscatur, unde oriatur defectus, & illi remedium adhibeatur.

(***)

CA-

# CAPUT XII.

## *Proponitur Methodus liberandi Pueros Maleficiatos.*

MAjorem ſecum fert facilitatem, major inque ſimul difficultatem maleficiatorum parvulorum curatio, quàm Adultorum. Ex una parte infantes, ſicuti propriam non habent culpam, ſic in illos minorem habet poteſtatem Dæmon, ut eos cruciet; at ex altera parte, dum incapaces ſunt efficiendi actus neceſſariæ diſpoſitionis, quemadmodum capaces ſunt Adulti; Hac de cauſa minùs apti ſunt ad ſuam liberationem. Attamen, ſicut in Baptiſmo parvulorum conſenſum ſupplet Eccleſia, & ſupplent Compatres, qui eos à Sacro Fonte ſuſcipiunt; ita dicere poſſumus, defectum diſpoſitionis in ipſis requiſitæ ſuppleri, tum ab Eccleſia, tum à parentibus, & iis, qui eorum curam gerunt, deteſtando Dæmo-

nem, atque ita in Domino confidendo, ut hanc impetrent liberationem. Ita fides Cananeæ ſupplevit pro ſua filia à Diabolo obſeſſa; Fides Patris illius Lunatici pro ſuo filio, qui difficilè liberari poterat; Fides Centurionis pro ſuo ſervo ægroto; Fides Archiſynagogi pro ſua filia defuncta; Licèt enim quis aliena fide juſtificari non poſſit, poteſt tamen aliena fide ſanitatem recipere. Proinde in curatione Infantium debet prius Exorciſta certior fieri, an malum, quo cruciantur illi Pueri, ſit malum ortum à Diabolo, & maleficio; Certior autem fiet ratione ſuperiùs allata, præſertim reddendo evidentia ea ſigna, quæ ſunt merè probabilia imperando, ut modo malum diſcedat; Modò redeat, juxta præceptum Dæmoni indictum. Signa verò probabilia maleficij in Pueris erunt hæc. Si Parvuli ſæpius tremant abſque ulla apparenti illius tremoris cauſa; Si Exorciſtas & Sacerdotes fixis oculis intueri non audeant; Si ore aperto lac amplius ſugere nolint; Si intra temporis

momentum exceſſuri videantur è vita ; Si in ijs pars aliqua corporis livida, vel nigra concurſu ſanguinis appareat, vel aliquod in illis vulnus videatur ; Si lacte ſatiari nunquam poſſint, licèt abundanter illud ſugant, & nihilominùs macri ſemper exiſtant. Hæc, & hujuſmodi indicia cùm Exorciſtæ aperuerint aditum curationem ſuſcipiendi innocentium eorum Infantium, neceſſe eſt, erudire in fide, & diſponere eos, ad quos ſpectat Infans ; Priùs autem admoneat eos, in pœnam peccatorum Parentum permitti à Deo vexationem iſtam in filiis : Quare illi ita incipient Dæmoni vim auferre, deinde agnoſcendo ſe indignos, qui gratiam recipiant fidei, fiduciæque actus ſuperiùs memoratos, iterum, atque iterum exerceant, proteſtantes ſe vice illius infantis, qui propriis actibus ſe diſponere non valet, ad divinam bonitatem confugere, & ab ea petere ſuppliciter auxilium per ipſius miſericordiæ viſcera, per ipſius promiſſionum fidelitatem, per ipſius ſanctiſſimi Sanguinis

merita, per ipsius sanctissimi Nominis honorem, promittentes quoque illi se gratias acturos pro suo filio, & majori diligentia eum erudituros in Christiana lege.

Præmissis his diligentiis, cùm Exorcista sibi videatur, posse niti tutiùs in bona eorum dispositione; Præceptum expulsivum proferre potest hoc modo:

*Ego N. Dei, Ecclesiæq; Minister in Nomine mei Domini JEsu impero tibi ô Dæmon execrande, tuisq; omnibus sociis, si tecum Infantem hunc à Deo creatum affligant ut statim absq; ulla mora ab illo discedas, & destruendo omne Maleficium, & ligamen, omnes immunditias tecum feras, quas fortè in hoc corpus attulisses, nullamq; imposterum habeas potestatem eum perturbandi, sive interiùs, sive exteriùs, aut aliomodo eum molestandi, sic volo, sic jubeo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

CA.

# CAPUT XIII.

## *Proponitur Methodus liberandi à vexationibus Dæmonis habitationes, aut aliquid aliud ab ipso infestatum.*

SIcuti Dæmon propter odium, quo Deum prosequitur, hominem, qui ad Deum pertinet, vexat; ita propter odium, quo hominem prosequitur, loca & res, quæ ad hominem pertinent, eique inserviunt, infestat. * Quantum ad loca, aliqua infestantur propter habitatores; & quando isti discedunt, cessat infestatio, alia verò aliis de causis infestantur, ita ut quocunque ibi habitante, non cesset molestia; Loquemur hîc de his ultimis, quorum infestatio consistit partim in eo, ut appareant Dæmones,



* *V. Tyræum de locis infestis c. 2. n. 2.*

Lemuresque adinstar umbratum, animalium, vel monstrorum ad terrorem incutiendum, partim in eo, ut frangant, perturbéntque res Domesticas, & excitent strepitum ad quietem, somnumque impediendum, partim in eo, ut rideant, & cachinentur, & percutiant absque damno habitatores, fortasse persuadendi causa hoc mendacium, videlicet Dæmones non esse adeo infelices, ut vulgo creduntur, neque adeo deformes, ut pinguntur, sed inter eos quoque hilariter, & perjucundè vivi; Nihilominus cujuslibet generis sit infestatio, & quæcunque sit ratio, qua utitur Dæmon, ut habitatores perturbet, in his omnibus semper ille quærit aliquod Animæ malum, sive ut ad impatientiam & disperationem provocet habitatores, sive, ut noxiam aliquam curiositatem in eis excitet, & tandem aliquam in eis possessionem acquirat; quare hac in re nulla est Dæmonibus permittenda libertas, licèt primo aspectu non videretur ingens detrimentum, & noxam alla-

allatura; ſed omnis illis adimenda eſt poteſtas, & per poteſtatem nobis à Domino traditam, ab omni loco ſunt expellendi. Ut igitur Exorciſta eos poſſit expellere, poſtquam certior factus fuerit de infeſtatione, vel à veridica incolarum Relatione, vel experimentis factis, ea Præcepta, eámque inſtructionem tradere incipiet habitatoribus, quæ ultimum præceptum expulſivum præcedere debet.

Et quoniam tota poteſtas, quam ſibi vendicat Dæmon in nos, ſive in res noſtras, oritur vel proximè, vel remotè à peccato, in primis diſponat habitatores ad illud deteſtandum, & præcipuè Domus illius Dominum, qui genibus flexis debebit à Deo petere veniam, non ſolùm ſuorum criminum, ſed etiam eorum, quæ à quocunque alio ſive præſenti, ſivè præterito fuerint admiſſa, ſuppliciter rogans Divinam bonitatem, ut pœnitentiam ſuam accipere dignetur pro ſe, & pro omnibus, Domumque ab illa Diabolica moleſtia liberare.

Præ-

Præterea debebit Exorciſta Dominum Domus, & cæteros certiores facere de poteſtate, quam ille, ut Dei, Eccleſiæque Miniſter in Dæmones habet, & certò forè, ut hi præcepts ſuis obediant, quotiescumque non deficiat fides, vel in ſe, vel in illis requiſita, cùm debeat ipſe imperare in JEſu Chriſti nomine, ac tanquam ejus miniſter maligños eos ſpiritus expellere; & quia Dæmon, ut hanc fidem impediat, perſuadere ſtudet ſe non eſſe illarum infeſtationum Authorem, ſed eſſe, vel Animas, qui Purgatorio igne cruciantur, ut à Chriſtianorum precibus aliquod obtineant pium ſubſidium, vel Animam alicujus ad inferna damnati, ibíque ſepulti, vel tandem aliquem theſaurum ibi defoſſum ab infernis ſpiritibus ita cuſtodiri, ut ab eis relinqui non poſſit; hæc omnia mendacia detegenda erunt ab Exorciſta, eorum falſitatem demonſtrando rationibus ſuperiùs adductis, & perſuadendo adſtantibus, ut pro certo credant damnatorum Animas in Inferno

Car-

Carcere detineri, non in noſtris Domibus; & Animas purgatoriis flammis deſtinatas, ſi quando facultatem habent apparendi, ſtatim reſpondere interroganti eas, ſuamque neceſſitatem exponere, nec ampliùs redire, niſi fortè una adhuc vice, * ut gratias agant de ſubſidio illis per Sacras preces delato; multoque minus redire ad moleſtiam afferendam, & perturbandos habitatores: Si verò Dominus Domus, vel illius habitatores obſtinato animo fidem habere vellent hujusmodi mendaciis à Dæmone excogitatis, non expedit ulteriùs procedere, quia dum ipſi non obediunt Exorciſtæ, ſed potiùs adverſantur, nunquam concipient eam fidem, quam neceſſariam eſſe diximus, ut certò Diabolus expellatur.

Tertiò, Diſponat Exorciſta habitatores ad concipiendam firmam loci liberationis fiduciam propter infinitam bonitatem Dei, & ejus promiſſa, quibus ſuum nobis ſpopondit patrocinium

* *Del Rio lib. 2. diſq. q. 26. ſect. 3.*

um & auxilium contra diabolicas infeſtationes, & propter authoritatem hac in re ſanctæ Eccleſiæ traditam.

His peractis expediet Chriſti in Cruce pendentis imaginem extolli, & omnes domeſticos illam ſequentes, & parvæ ſupplicationis ad inſtar litanias recitantes ad illud domicilium contendere, quod magis infeſtatur à Diabolo; ubi abſolutis precationibus ſurgens Exorciſta capite cooperto in poteſtatis ſuæ argumentum, magna fide & poteſtate eo muneri accommodata, quo tunc fungitur pronunciet hoc præceptum.

*In nomine JEſu Chriſti Ego N ut ejus Miniſter, & ſervus licèt indignus impero tibi, & vobis execrandi Dæmones, ut ſtatim ex hac domo diſcedatis, nec ad illam moleſtandam ampliùs redeatis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Deinde magna liberationis peractæ cer-

certitudine domicilium illud, atque alia aſpergat aqua luſtrali, confirmatísque in fide habitatoribus, traditisque opportunis monitis diſcedat.

Quicquid de domuum liberatione diximus, intelligendum pariter eſt, & exercendum in beſtiarum liberatione. Diſponatur Dominus, vel illarum cuſtos ad deteſtanda ſua peccata, etiam per ſacram, & accuratam confeſſionem, & præſertim illa, quæ fortè in illarum beſtiarum cura commiſerit, vel diebus Feſtis ſervilia opera exercendo, vel rerum caducarum curam debitæ ſpirituallium, ſuaéque Animæ ſolicitudini anteponendo. Erudiatur item, ut dictum eſt in fide & fiducia, & cùm benè eruditus fuerit, vexatas illas belluas liberare agrediemur hoc præcepto.

*Ego N. JESU Chriſti & ſanctæ Eccleſiæ miniſter impero tibi & vobis ô execrandi Dæmones, quotquot eſtis, ut ab his Animabus ſtatim diſcedatis, maleficium omne in illorum*

*noxam elaboratum deſtruendo, naturalésque illorum operationes nunquam ampliùs impediendo, neque eorum Dominum, aut Cuſtodem ampliùs perturbando. Fugite igitur ſpiritus nefarii, ſicuti vobis impero in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Poſtea beſtiæ & ſtabula aqua luſtrali aſpergantur, aliáque præmunientia adhibeantur remedia, ut dicemus capite ſequenti.

Verùm in nulla alia liberatione labores ſuos utiliùs impendet Exorciſta, quam ſi ſolvere conetur ea maleficia, quæ Matrimoniis nocent. In hujusmodi faſcinis permittitur Dæmoni major nocendi libertas, originalis peccati cauſa, quod transfunditur in nos per generationem carnalem, a ut D. Thomas, aliíque Theologi obſervarunt. Hujusmodi maleficiorum ſigna videri po-

a *In 4. diſt. 34. 13. c. Abul. in cap. 19. Math. 90 Sanchez de Matrim. lib. 8. 9.*

poterunt apud Morales, qui de his ſatis ſupérque agunt. Quando igitur pateat mala in Conjugibus orta eſſe à Dæmone, perſuadeatur iis, ut deteſtentur omnia crimina, quæ fortè inter ſe admiſiſſent, ſive ante, ſive poſt Matrimonium contractum, & præſertim abominentur finem illum, quem multi in primis ſpectare ſolent in connubiis jungendis, nimirum liberè ſatisfacere libidini, nec interim dirigunt Matrimonium ad finem debitum, & ſupernaturalem, nempe, vel ut ſanctiùs vivant in illo ſtatu, vel ut prolem obtineant, quæ Deo ſerviat, & Cœleſtes ſedes repleat. Utatur igitur Exorciſta verbis Archangeli Raphaëlis ad Tobiam, a ut demonſtret hos errores, curétque, ut à Sponſis piis precationibus & pœnis voluntariè ſuſceptis deleantur; Deinde eos erudiat in fide, ut dictum eſt, & maximè conetur eis apertum facere, & perſuadere, poteſtatem, quam Conjuges invicem habent in ſua Corpora, datam illis eſſe

a. *Job.* c. 6.

se à Christo per Sacramentum adeò magnum, quale est Matrimonium, & si ipsi peccata omnium malorum causam tollant, Deum non ampliùs permissurum esse Dæmoni hanc potestatem, quam hactenùs ei permisit. Tandem postquam iteratis actibus, eos ad liberationem rectè disposuerit, poterit præceptum sic efformare.

*Ego N. Christi, & Ecclesiæ Minister potestate à Deo mihi tradita, cùm Exorcistæ Ordinem susciperem, venio contra te spiritus immunde, qui contendis impedire Matrimonium ab ipso Deo institutum ad finem adeò sublimem, & impero tibi in Nomine JESU Christi, ut omne maleficium contra hanc Creaturam factum statim destruas, & absque ulla mora discedendo tecum feras omnes diabolicas immunditias, quas aliquo modo in hoc Corpus intulisses, ita, ut Creatura ista libera & sana remaneat*

*neat perinde, ac si nunquam à te molestata fuisset. Sic igitur tibi impero, & omnibus aliis, quotquot adestis spiritus execrandi. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

---

# CAPUT XIV.

## *Agitur de remedio præmuniente contra omne genus Maleficii.*

DUo petebat David frequenter à Deo; Primò ut esset sibi refugium, postquam in tribulationem inciderat. Secundò ut esset sibi Protector, ne iterum in illam incideret. *Esto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugii, ut salvum me facias.*

Hæc gemina beneficia concedit largè Christianis Deus præsertim cõtra mala diabolica. Quod autem attinet ad primum, quod consistit in eo, ut li-

be-

beremur ab illis malis, ſufficit, quod hactenus diximus; ſupereſt ſolùm, ut inquiratur ratio, qua contra eadem mala præmuniamur: Et hæc quidem traditur nobis à Deo in pluribus ſacrarum ſcripturarum locis, & præcipuè in Pſalmo nonageſimo, ubi de divina protectione magis expreſsè agitur. Hic igitur enumeratis priùs magnis bonis, quæ in hac protectione continentur, indicatur ratio, qua illa obtinetur, nimirum fiducia in divina poteſtate, & imploratio ejusdem poteſtatis per ſacras preces. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* En fiducia. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* En imploratio, & ejus effectus. Proinde qui cupit protegi in omnibus periculis, ſéque, & bona ſua immunia eſſe infeſtationibus diabolicis, dilatet, opportet Cor ſuum, & maximè in Deo confidat ſe totum ejus manibus committens, & ſub

ejus

ejus ſanctiſſimi nominis protectione, & omnia ſua collocans. Hæc igitur fiducia augetur in noſtra voluntate, ſæpiùs reputando, & attentè conſiderando cauſas, quibus impellimur ad ſperandum in Deo, quæ ſunt præcipuè tres; prima ſunt promiſſiones nobis auxiliandi, quas multoties nobis in ſacris paginis declaravit; ſecunda eſt ejus infinita bonitas, ejus liberalitas, & ejus providentia. Tertia ſunt JEſu Chriſti merita, quæ omnem noſtram indignitatem ſupplent. His ſæpè ſæpiùs conſideratis tolletur illa diffidentia, quæ divinis auxiliis viam occludit, & producetur habitus illius fiduciæ, quæ nos quaſi omnipotentes reddit. *Si potes credere, omnia poßibilia ſunt credenti*; *Marc. 9.* ita ut poſſit Anima dicere cum Apoſtolo, cùm aliquid operandum ſit. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Philipp. 4.* & cùm aliquid tolerandum ſit, dicere poſſit cum Job. *Pone me juxtà te, & cujusvis manus pugnet contrà me.* Ut autem hæc ſpes utilis ſit &

fructifera, & ut quis possit illa uti tanquam remedio præmuniente, opus erit eam adhiberi in rebus particularibus, de quibus superiùs dictum est in Maleficiorum liberatione, producendo sæpesæpius varios confidentiæ actus, quibus speremus à Divina bonitate præmuniendos esse tum nos ipsos contra infestationes diabolicas, tum nostros agros contra procellas & turbines, tum bestias contra maleficia, tum Matrimonia, & filios contra fascinationes. Dicitur quædam famosa Venefica in suæ Causæ actis confessa esse, se plusquam quinquagies noctu à Dæmone delatam fuisse in Domum honestæ Mulieris, ut parvulum ejus filium recenter natum fascinaret, sed semper omnem conatum in irritum cecidisse; nunquam enim ad cunas accedere potuit propter magnam fidem, qua infantis Mater quotidie vespertino tempore crucis signo eum muniens, lustrali Aqua aspergebat.

Alia etiam via obtinetur hæc divina protectio, nempe confugiendo precibus

bus ad Deum, quæ procul dubio irritæ non erunt, quoties debitæ illas comitentur circumſtantiæ, nimirum, ut bona & Animæ ſaluti utilia petantur, ut cum fide, perſeverantia ſine tædio, & humiliter poſtulentur, licèt Deus petitionibus noſtris aures præbere aliquando non videat.

Confugere hoc modo ad ſacras preces erit remedium præmuniens contra mala ſuperiùs memorata, ſi divinæ protectionis fructibus frui velimus. Imò, ut meliùs hæc eadem fiducia ſtabiliatur, expediet uti aliqua ex illis rebus conſecratis, quæ Sacramentalia dicuntur, & præſertim cereis illis agnis vulgo dictis *Agnus Dei*, * ritè & ſolemniter à Pontifice conſecratis, qui ſi ab aliquo geſtentur, contra diabolicas operationes maximam vim habent, ut ex multis experimentis conſtat, cùm videantur Dæmones hujusmodi cereorum Agnorum aſpectum fugere magnáque rabie & furore maleficiatis minitari, niſi eos projiciant. Neque mi-



* *Delrio l. 6. c. 2. ſec. 3. lit. E. F.*

mirum est, si Christus Dominus tantam vim concedat rebus à suo in Terris Vicario consecratis, & ejus precibus, quibus ille Universalis Ecclesiæ nomine contra plurima mala præmunitionem obtinere nititur iis, qui sumn a cum pietate & religione cereos illos Agnos secum deferunt.

Semper igitur debebit Exorcista aliquem ex prædictis cereis Agnis tradere iis, qui ab infestatione diabolica liberati fuerunt, ut fides, & liberationis efficacia meliùs stabiliatur, pariter eodem munere exornare debebit Maleficiatos in Matrimonio, infantes jam liberatos, Animalia, Domus, Agros & vineas; explicando priùs, quam vim habeant hujusmodi cerei agni, ne careant effectu suo: sicuti enim naturalia remedia nihil prosunt, nisi naturali calore concoquantur, ita spiritualia remedia nullam poterunt habere vim, nisi per vitalem illum vivæ fidei calorem *Justus autem meus ex fide vivit.*

Ob-

Obſecro tandem, his remediis præmunientibus magis, quam quemlibet alium, indigere eum, qui ſemel à Maleficio liberatus fuit, etenim Dæmon, qui nulla alia re gaudet, quàm malum inferre, poſtquam ſua Domo expulſus eſt, nil aliud cogitat, quàm ut illuc redeat. *Revertar in Domum meam.* Ratio autem aperiendi ſibi aditum eſt, ad puſillanimitatem & diffidentiam inducere, perſuadendo partim liberationem non fuiſſe veram, partim non fore ſtabilem, aut ſaltem laborandum eſſe in continuo bello, ſervandi cauſa ſe liberum, ita ut minus malum, & minor moleſtia fuiſſet, pacificè permittere Dæmoni poſſeſſionem ſuam, quàm ſe exponere tot ærumnis, ut ille expelletur. Hæc & alia hujusmodi mendacia ſuggerit menti malignus hoſtis, ut aliquem obtineat conſenſum, & per ipſum aperiat ſibi aditum ad reditum; & ideò nullam prætermittit occaſionem: quare cùm quis à Dæmonis vexatione jam liber ſolus eſt nullo comite ac tenebro-

ſo in loco, multùm illius animo incurrit terroris, ut de divina providentia diffidat: ſi fortè aliquo naturali morbo laboret, ſtatim illius menti ſuadet, hoc eſſe malum diabolicum, indiciúmque Dæmonis jam reverſi, veterémque poſſeſſionem jam adepti. Si accidat, ut cum aliquo alio maleficiato loquatur, ſtatim curat, ut ab ejus ore novas ille terroris Cauſas audiat; atque ita credat Exorciſtas non illa pollere virtute, quam contra diabolicas infeſtationes jactant.

Remedium tamen contra hujuſmodi malignas inſidias erit, ut qui jam liber à Dæmone eſt, quantò magis ab his timoribus & diffidentijs agitâtur, tantò magis confugiat ad DEum, atque ad inclytam ejus Virginem Matrem, & ad Sanctos ſuos Patronos, implorans eorũ auxilium, & enitens interim novos fidei actus ſæpè ſæpiùs producere, proderit etiam in promptu habere brevem aliquam precationem vel proteſtationem, quæ in ea contineatur; Ita, ut quando Dæmon magis fremit, tunc ma-

magis illum contemnens, & ejus mendacia negligens, ad actus ſibi ſtatutos iterandos, ſolummodo ſe vertat, non contentus illi tantùm reſiſtere, ſed inimicum proſternere ſtudeat, eum, ut impotentem, contemnens, ſempérque agens contraria iis, quæ ab illo ſuggeruntur. Sin autem, qui ſemel liberatus eſt, cedendo, ſuíque muneris partes, non adimplendo Dæmoni aditum patefaceret, ut ad ſe poſſidendum, & invadendum rediret, ejus liberatio, ſicuti non eſſet impoſſibilis, ſic foret quoque difficilior. Proinde tunc deberet Exorciſta eum erudire, & longiori ſtudio diſponere; poſtea verò majori attentione præmunire, ne diutiùs gaudeat Dæmon victoriâ ſuâ.

Hæc ſunt monita, quibus uti debet Exorciſta, ut ſe omnibus Diabolis formidabilem reddat, ejiciendo eos à corporibus, quæ ipſi poſſidebant, & prohibendo, ne iterum ad illa poſſidenda redeant. Credibile autem eſt, ſimili modo uſos olim fuiſſe priores illos Exorciſtas, qui tanto cum Eccleſiæ

decore, tantóque Dæmonum probro in liberatione Energumenorum tam mira prodigia efficiebant; Nec profectò dissimilia nostris etiam temporibus facient Exorcistæ, si inhærebunt rationi nobis traditæ in Evangelio, nempe vivæ fidei, in Nomine Servatoris, divinarúmque ejus promissionum, quæ nunquam fallere possunt in omni æternitate. *Cœlum & Terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

IN-

# Index Capitulorum Præsentis Operis


*Quid, & quotuplex sit Maleficium. Cap. 1.* Car. 11.

*An verè inter Christianos, & à Christianis fieri possint, & fiant hæc Maleficia. Cap. 2.* 17.

*Cur Deus permittat Dæmoni hanc potestatem vexandi corpora humana. Cap. 3.* 29.

*Quibus signis cognosci possint Maleficia. Cap. 4.* 36.

*De remediis contra Maleficia. Et primum de Exorcistæ potestate. Cap. 5.* 40.

*De dispositionibus, quæ requiruntur in Exorcista, ut curet Maleficia, & primùm de ejus fide. Cap. 6.* 49.

*De recto usu potestatis requisito in Exorcista. Cap. 7.* 59.


De

*De dispositionibus, quæ requiruntur in Maleficiato, ut liberetur à Maleficio. Cap 8.* 67.
*Proponitur Methodus servanda ab Exorcistis, in curatione Maleficiatorum. Cap. 9.* 75.
*Proponitur Methodus disponendi Maleficiatum ad liberationem. Cap 10.* 79.
*Proponitur Methodus ejiciendi Dæmonem per ultimum præceptum expulsivum. Cap. 11.* 92.
*Proponitur Methodus liberandi pueros maleficiatos. Cap 12.* 103.
*Proponitur Methodus liberandi à vexationibus Dæmonis habitationes, aut aliquid aliud ab ipso infestatum. Cap. 13.* 107.
*Agitur de remedio præmuniente contra omne genus Maleficij. Cap. 14.* 117.

LAUS DEO.

*Sequitur*

# Formula Exorciſmi.

## PRÆMONITIO.

*Exorciſta cupiens cum Dei adjutorio maleficiatos, & facturatos à dæmonibus & maleficiis curare, prius debet perquirere omnia inſtrumenta maleficialia omni diligentiâ, quâ poterit, & inventa igni benedicto illa comburere. Poſtea indutus ſtolâ & cottâ, pergens ad Eccleſiam una cum infirmo, & ſtans ante Altare, poſitâ manu ſuper caput maleficiati, & illum ſigno crucis muniens, voce intelligibili, maxima cum devotione dicat:*

SIgnum Crucis † ſit in fronte mea. Verba Chriſti † ſint in ore meo. Arma Chriſti † ſint in pectore meo. Per ſignum † de inimicis noſtris libera nos Deus noſter. Potentia Pa†tris confirma me. Sapientia Fi†lij doce me. Amor Spiritus † S. illumina me. Benedicta ſit

dies & hora, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus eſt de Virgine Maria. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen. Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria.

*Poſtea ſigna obſeſſum in fronte, in ore, & in pectore, dicendo:*

POtentia Patris conforta eum. Sapientia Filij doce eum. Amor Spiritus S. illumina eum. Benedicta ſit dies & hora, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus eſt de Virgine Maria. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen. *Poſtea dic* Confiteor Deo omnipotenti, *totum, & fac abſolutionem ſuper infirmum, & aſſiſtentes dicendo:* Miſereatur veſtri, &c. Indulgentiam, & abſolutionem. *Dein lege ſequentia præcepta.*

PRæcipio vobis dæmones, qui veniſtis in adjutorium iſtorum dæmonũ vexantium hanc creaturam Dei N. ex parte ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et ſub pœna immerſionis in ſtagnum ignis, & ſulphu-

phuris per manus inimicorum veſtrorum, & ſub pœna tradendi vos in poteſtatem inimicorum veſtrorum, ac condemnandi vos in ſtagnum ignis, & ſulphuris per annos mille, quatenus nullum adjutorium, vel favorem detis iſtis dæmonibus, qui vexant hoc corpus iſtius creaturæ Dei N. ſed diſcedatis ſtatim, & eatis ad loca vobis deputata à DEO. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Præcipio vobis etiam dæmones, qui vexatis hanc creaturam Dei N. quòd exeuntes ab eâ, dimittatis, & relinquatis eam liberam, ſanam, abſque ulla læſione animæ & corporis, ut poſſit ſervire Deo Creatori ſuo. Etiam præcipio omnibus inimicis veſtris, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ut cogant vos obedire mandatis, & præceptis meis. Et ſub eiſdem pœnis præcipio vobis, ut nihil dicatis, vel faciatis, quod præſentibus, vel abſentibus diſpliceat; niſi quantum fuerit interrogatum à me. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus †ſancti, Amen

*Poſtea ligando Stolam ad collum obſeſſi cum tribus nodis, dic:*

OVos omnes abominabiles, & rebelles Dei, conjuro vos ſpiritus, adjuro, voco, conſtringo, evoco, contendo, & conteſtor, ubicunque ſitis in homine iſto, per Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † ſanctum, & per potentiſſimum nomen Dei Heloy forte, & admirabile, exorcizo te, & adjuro vos ſpiritus, ac impero vobis authoritate, quâ funger, per virtutem Dei, & ſapientiſſimi Creatoris, qui cuncta creavit, tenens vos in ſua poteſtate, à qua fugere non poteſtis, ut in continenti verba conjurationis meæ intelligatis, & virtutem: & ſentiatis vos victos ex præcepto vobis facto, nunc ab iſta creatura Dei, & imagine Chriſti non audeatis recedere abſque licentia mei præcepti, & ſic ſitis ligati, & incatenati, ſicut Sancti Dei ligaverunt dæmones cum catenis, ita cum iſtâ ſtolâ jucunditatis ego vos ligo. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † ſancti, Amen.

*Dein*

*Deinde positis manibus super caput vexati, dicas:*

EXtinguatur in te N omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum: imò per invocationem omnium Sanctorum Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium simul Sanctorum, Amen.

*Deinde dic sequentia verba, signando obsessum in fronte: quod servabis, quotiescunque inveneris aliquam crucem, nisi aliter tibi assignatum fuerit.*

Hel † Heloym † Heloa † Eheye † Tetragrammaton † Adonai † Saday † Sabaoth † Sother † Emanuel † Alpha † & Omega † Primus & Novissimus, † Principium & Finis † Agios † Yschiros † Otheos † Athanatos † Agla † Jehova † Homousion, † Ya, † Messias, † Esereheye † Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat † Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus sanctus. † Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

*Sacerdos dicturus aliquod infrascriptorum Evangeliorum, semper debet ponere manus suas super caput vexati.*

Initium Sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN principio erat Verbum, &c. ℟. Laus tibi Christe. *Deinde subjungat Exorcista.* Per Evangelica dicta extinguatur in te N. omnis virtus diabolica, & infundatur virtus divina. Amen.

*Quod servandum est in fine cujuslibet Evangelij.*

Credo in Deum, *totum. Postea dic,* Ecce Crucem † Domini nostri Jesu Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Judâ, radix David.

Sequentia sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis.

vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre meo annunciabo vobis. Illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis. quia ego rogabo Patrem de vobis, Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amâſtis, & credidiſtis, quia à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli ejus. Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis, nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non eſt opus tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti.

ECce Crucem † Domini noſtri JEſu Chriſti, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Judâ, radix David, Alleluja.

*Poſtea dicas pſalmum* Miſerere mei Deus. *totum.* Ecce † Crucem Domini, &c. *Deinde dic Pſalmum.*

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina. Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam. Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt

mihi mala. Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, euge, euge. Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper: magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego verò egenus, & pauper ſum. Deus adjuva me. Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Gloria Patri, &c. *Deinde.* Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

*Poſtea dic Litanias Omn. SS. genuflexus. Et poſt verba:*

Ut omnibus fidelibus defunctis, &c. *adde:* Ut hunc famulum tuum N. benedicere, & liberare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut hunc famulum tuum N. à vexatione diaboli eripere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut hunc famulum tuum N. ab infeſtationibus dæmonum liberes, te rogamus, audi nos.

*Et ſequitur iſta Oratio.*

DOmine Jeſu Chriſte, qui pro redemptione mundi voluiſti à Judæis re-

reprobari, à Juda proditore oſculo tradi, & à perfidis vinculis alligari; & ſicut agnus manſuetus ad victimam duci, atque in conſpectu Pilati indecenter offerri, & à falſis teſtibus accuſari, clavis acutis perforari, flagellis, & opprobriis vexari, conſpui, & ſpinis coronari, colaphis cædi, & in Cruce levari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, lanceâ vulnerari. Tu Domine Jeſu Chriſte per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus, & miſer peccator recolo, & per ſanctam Crucem tuam te deprecor, ut non reſpicias peccata mea, atque peccata iſtius creaturæ tuæ N. ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuâ libera eam à diabolo vexante. Et mihi indigno famulo tuo præbe virtutem, ut valeam expellere omnes dæmones eam vexantes in profundum abyſſi, per tua ſanctiſſima verba, Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculornm. Amen. Ecce Crucem † Domini, &c. Crux bona, Crux digna, lignum ſuper omnia ligna. Per Crucis † hoc ſignum repellitur omne malignum. Ne mentem lædant, phantaſmata cuncta recedant. Ecce Cru-

cem † Domini, fugite partes adverſæ; vicit Leo de tribu Juda, radix David. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Fiant aures tuæ intendentes; in vocem deprecationis meæ. Eſto mihi Domine turris fortitudinis; à facie omnium malignorum ſpirituum. Pone eos Domine ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij Rex, & ſemper magnificus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, qui omnia per tuum verbum ex nihilo condidiſti, qui Luciferum & ſuos ſequaces, tanquam ſuperbos & rebelles de cœlo empyreo expuliſti, qui in Filio tuo, ima ſummis reconciliâſti, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium, cui proprium eſt, miſereri ſemper & parcere, miſerere huic creaturæ tuæ N. non ad ejus peccata, ſed ad tuam benignam clementiam aſpiciendo, & libera eam ab omnibus laqueis malig-

lignorum ſpirituum, quibus quotidie alligatur, & ab omni flectatione, & moleſtia ipſorum, quibus torquetur, ſicut liberâſti Mariam Magdalenam à ſeptem ſpiritibus immundis, & filiam Cananeæ à vexatione dæmonis; ſic ipſum N. nunc liberare digneris ab omnibus malignis ſpiritibus eum infeſtantibus, & ſicut liberâſti Jonam de ventre ceti, & Suſannam de falſo crimine, & David de gladio maligno, & de manibus Saul, & tres pueros de camino ignis ardentis, & Danielem de lacu leonum, & Iſaac de manu patris ſui, & Joſeph de carcere Pharaonis, ita nunc tuâ clementiâ liberare digneris hanc creaturam tuâ N. ſanguine Filij tui redemptam, & undâ baptiſmatis regeneratam, & omni vexatione malorum ſpirituum, & diabolorum. Et ſicut dediſti Apoſtolis tuis poteſtatem ſuper malignos ſpiritus, & virtutes eorum, ipſoſque fugandi à corporibus hominum, & curandi infirmos; ita nunc mihi indigno famulo tuo, undâ baptiſmatis regenerato, & tuo ſanctiſſimo nomine conſignato concedere digneris dono tuæ gratiæ

virtutem fugandi iſtos malignos ſpiritus ab hac creaturâ tuâ N. virtute tuâ, & in vocatione tui ſanctiſſimi nominis. Amen. Ecce Crucem † Domini, &c.

## ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te ſupplices exoramus, ut imperes ſpiritibus iſtis, qui hunc famulum tuum N. detinent, ut ab eo recedant, & libera eum: quia credit in verum liberatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Ecce Crucem † Domini, &c.

*Hic Sacerdos ſurgat ab oratione, & incipiat adjurare dæmones, priùs debet exorcizare obſeſſum hoc modo.*

## EXORCISMUS.

EXorcizo te N. in nomine Dei Pa † tris omnipotentis, & in nomine Jeſu † Chriſti, Filij ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritûs † ſancti, ut fias vas mundum, ſanctum, & purgatum ab omni labe iniquitatis, & ab omnibus ma-

maleficiis, incantationibus, ligationibus, ſignaturis, & facturis; quæ omnia maleficia, incantationes, ligaturas, ſignaturas, & facturas in corpore, vel circa corpus tuum ſunt facta; Ego N. ſervus Dei indignus, & peccator auctoritate mihi præſtitâ, in nomine ejuſdem Dei Pa†tris omnipotentis,& in nomine Jeſu†Chriſti Filij ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritûs † ſancti diſſolvo, & diſſoluta eſſe concerno; & præcipio tibi maledicte diabole, ac ſociis tuis, ut amplius non habeatis poteſtatem manendi in hoc corpore, à plantâ pedis uſque ad verticem, ſed ſtatim recedere debeatis cum omnibus maleficiis, & incantationibus veſtris. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

ORATIO.

DEus miſericordiæ, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, quos diligis, corripis, & quos recipis, piè ad emendationem coerces, te invocamus Domine, ut famulo tuo N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam

conferre digneris; ut quicquid terrenâ fragilitate corruptum, quicquid diabolicâ fraude violatum eſt, unitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annectas. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum ejus, & non habentem fiduciam, niſi in miſericordia tua, ad tuæ ſacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Et aſpergatur aqua benedicta ſuper obſeſſum.*

## EXORCISMUS.

EXorcizo te N. infirmum, ſed ſacroſancti baptiſmi undâ regeneratum, per Deum vivum, † per Deum verum, † per Deum ſanctum, † per Deum, qui te ſuo pretioſo ſanguine redemit, ut fias homo exorcizatus, ut effugiat, atque diſcedat à te omnis phantaſia, & nequitia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus adjuratus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, &c.

## ORATIO.

DEus, qui facturæ tuæ ſemper pio dominaris affectu, inclina aurem tu-

tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum N. ex adversâ valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita, & ſalutis tuæ, & cœleſtis gratiæ præſta ei medicinam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Et aſpergatur aqua benedicta ſuper obſeſſum. Poſtea cum magna fide, & ſpe incipiat Exorciſta adjurare dæmones exiſtentes in corpore obſeſſo, dicens:*

## ADIURATIO.

AUdi immunde ſpiritus diabole; admoneo te, & exorcizo † te, atque tibi præcipio tentator vane, inſenſate, falſe, hæretice, vacue, inimice, ebrioſe, ſuſurro, inſipiens, dejecte de gratia Dei & Chriſti. Per ipſum te exorcizo, † qui propter nos in terram deſcendit, & qui ab Angelo fuit nominatus, & à Spiritu S. incarnatus, ex virgine Maria natus, & crevit ætate, & ſapientiâ; in duodecimo anno venit in templum, & ſedens in medio Doctorum, ſapienter interrogabat illos Adjuro te † per illum, qui à Joanne Baptiſta in Jordane flumine baptizatus fuit, & à diabolo ten-

tentatus, venundatus, & traditus à discipulo ſuo Judâ, captus, illuſus, flagellatus, cibatus felle, potatus aceto, vinctus, & ſpinis coronatus, veſtibus expoliatus, ſuper cujus veſtes ſortem miſerunt. Conjuro te † per illum, qui crucifixus, & ſepultus fuit, & tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus eſt, judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, ut ſtatim exeas, & fugias de vaſe iſto, & plaſmate Dei, & nec me, neque adſtantes offendas, & ſine læſione ipſius. Exorcizo te † per ipſum, quem Gabriel Angelus nuntiavit in utero B. M. Virginis venturum, & in Eliſabeth Joannes ſalutavit, & per ipſum te conjuro, ut de quacunque re te interrogavero, dicas, indices mihi verum, quomodo vocatur magiſter tuus, & quomodo vocaris; & ſi in corpore iſto es, vel extra corpus, aut ſolus es, vel legio tecum, vel plures legiones.

*Hîc Exorciſta interrogare poterit, quod eſt nomen dæmonis obſidentis: quot ſocios habeat: quomodo vocatur magiſter ejus: ſub quâ poteſtate dæmo-*

*monum ſit : quâ de causâ opprimat obſeſſum : ſi aliquo maleficio ſit ibi ligatus , quomodo illud poſſit ſolvi : quantum tempus ibi habitavit : per quem Sanctum debet exire : per quam perſonam : deinde qui magis ſint ſui inimici in cœlo , & qui in inferno : quod ſignum dabit in exitu ſuo. Poſteà præcipe illi ut non noceat patienti , & quòd de cætero non audeat reverti ad eum , neque inducat malum tempus. Sed eſto prudens , & circumſpectus in interrogationibus , ne decipiaris. Magis enim ſtude cum humilitate mentis , quæ ad hoc eſt neceſſaria , liberare creaturam Dei , quàm loqui cum dæmonibus. Demum factis interrogationibus , ſi non receſſerit , ſive reſponderit , ſive non , proſequere hanc conjurationem.*

## CONIURATIO.

TU ergo homicida , reprobe , filij perditionis , per ipſum te † conjuro , cujus ſignum apparuit in cœlis , quẽ paſtores viderunt , & Magi adoraverunt , quem Angeli , & Archangeli collaudant , ut ſtatim exeas de vaſe iſto , & plaſmate Chri-

Chriſti: & pergas in profundum maris, vel in arbores ſteriles, vel ad loca deſerta, ubi non ſit habitatio Chriſtianorum, vel acceſſus hominum, & ubi te incendant fulgura de cœlo. S. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vera Majeſtas Dei, coerceat te, ſtatim exire. Adjuro te † inique dæmon, per ipſum, cujus nomen eſt Jeſus Nazarenus, ut foras exeas, audito verbo Domini, ab hoc famulo Dei. Per ipſum te † conjuro, cujus ortum S. Angeli collaudantes cantaverunt dicentes: Gloria in excelſis Deo; Magi ab oriente venientes, aurum, thus, & myrrham offerentes adoraverunt, ſicut prædictum erat. Conjuro te † per ipſum, in cujus ortu ſtella de cœlo apparuit, ſicut Balaam prophetizavit, dicens: Orietur ſtella ex Jacob. Et per ipſum, quem animalia muta cognoverunt, ſicut ſcriptum eſt: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Conjuro te † per ipſum, quem Herodes interficere voluit, & non potuit: pro quo S. Martyres Innocentes interfecti ſunt, de quorum ſanguine ornata eſt ſancta Hieruſa-

ruſalem in cœlo. Per illum te adjuro, † qui cum matre ſua in Ægyptum fugit : & qui in cœna Galilææ aquam convertit in vinum, quem Pilatus ſpineâ coronâ coronavit, & crucifixit, quem Longinus lanceâ transfixit, & qui in Cruce clamavit Hely, Hely Lamaz batani. Conjuro te † per ipſum, qui in templo inventus eſt in medio Doctorum, in Cruce in medio latronum, & in medio aëris, & poſt reſurrectionem ſtetit in medio diſcipulorum, dicens : Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Adjuro te † per ipſum, qui mortuus fuit, & ſepultus : qui ad inferna deſcendit, & ſuos à diabolo detentos extraxit, & primum hominem liberavit, & tertiâ die reſurrexit : & poſt quadraginta dies ad cœlos aſcendit. Ipſe te ejiciat, & exire coerceat de corpore, & de compaginibus membrorum iſtius creaturæ Dei N. qui te ejecit de ſtatu cœli, ille te coerceat indicare mihi nomen Magiſtri tui, & ſi tu es ſolus, vel aliqua legio tecum. Adjuro te † per illum, qui condidit paradiſum, à quo excuſſit quatuor flumina, ſcilicet Gyon, Phiſon,

Ty-

Tygrin & Euphraten, & quem tentare voluisti dicendo: si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant, & iterum: Si filius Dei es, mitte te deorsum, & ostendendo ei omnia regna mundi dixisti: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Per ipsum te † conjuro, qui locutus est ad te dicens: Vade Satana, non tentabis Dominum Deum tuum, sed ipsum adorabis, illi soli servies.

## CONIURATIO.

O Inique dæmon, & serpens antique, conjuro te † per nomen Dei sanctissimum, magnum & fortissimum, quod explicare nequeunt omnes linguæ viventium, nec mens, nec sensus hominum, quod est Tetragrammaton. Adjuro te † dæmon per nomen Dei Alpha & Omega, Jesu nostra Redemptio, Vita & Resurrectio, Salus nostra, Defensio & criminum Remissio. Adjuro te † dæmon per nomen Dei Adonay, quod est magnum & admirabile, Creator ineffabilis, Filius Dei admirabilis, Via infatigabilis: Spiritus invisibilis: Splendor inextinguibilis: Trinus inseparabilis: Unus invisibilis, ut per hæc san-

ſanctiſſima nomina tu dæmon exeas foras ſtatim abſque ulla offenſione, & terrore plaſmatis Dei, & ſine læſione alicujus perſonæ: & nullum ſignum in ea dimittas Adjuro te † dæmon per Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & per ſpiritualem unctionem illius, qui eſt trinus & unus Deus. Iterum conjuro te † dæmon per illam, quæ Chriſtum lactavit, & in ſuo utero portavit illum, qui fecit eam, ut in hac creatura Dei N. ulterius morandi non habeas poteſtatem. Conjuro te † dæmon per S. Michaelem Archangelum, qui te de cœlo ejecit per virtutem Dei, quando cum dracone pugnavit, & devicit eum, ut dimittas hunc locum, in quo nunc es, & vadas ad locum deſertum, vel in profundum abyſſi, ut nemini nocere valeas. Conjuro te † dæmon per S. Gabrielem Archangelum, qui nunciavit B. M. Virgini adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & incarnationem ejus, quando dixit: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, ut audito verbo, feſtinanter recedas ſine terrore alicujus perſonæ ab hac creatu

tura Dei N. Conjuro te † dæmon per S. Raphaelem, qui Tobiam & Saram cuſtodivit, & à dæmonio eos liberavit; qui per virtutem Dei Aſmodæum dæmonem raliter ligavit, quòd nullo modo eis nocere potuit, ut ſtatim ab hac creatura Dei N. recedas, non rediturus, & ei nequaquam deinceps nocere valeas. Conjuro te † dæmon per omnes ſanctos Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim, qui quotidie non ceſſant clamare una voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth

## CONIURATIO.

ITerum conjuro te † maledicte dæmon per omnes orationes Patriarcharum, & merita Prophetarum, & ſuffragia Apoſtolorum, & victoriam Martyrum, & per fidem Confeſſorum, & deprecationes Virginum, & per interceſſionem omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, qui Deo placuerunt ab initio mundi, ut ſtatim ab hac creatura Dei N. exeas, & recedas. Iterum conjuro te † dæmon, per S. Abel, qui inter Martyres fuit primus,

mus. Per S. Enoch, qui ambulavit coram Deo, & translatus est de mundo. Et per S. Noe, qui reservatus est in diluvio propter justitiam. Per fidem Abrahæ, qui credidit Deo, & cui reputata est fides ad justitiam. Per S. Isaac, qui fuit obediens patri usque ad mortem, qui fuit figura Domini nostri Jesu Christi oblati pro salute mundi. Et per felicem Jacob, qui vidit Angelum Domini venientem in adjutorium sibi. Iterum conjuro te † dæmon per S. Moysen, cum quo locutus est Dominus facie ad faciem. Et per sanctos Prophetas, Amos, Habacuc, Jonam, Sophoniam, Aggæum Zachariam, Malachiam, Esdram, Jeremiam, Isaiam, Ezechielem, David, & per omnes sanctos alios Prophetas te conjuro, ut de quacunque re te interrogavero, mihi puram veritatem dicas sine mora, & quidquid præcipiam, nullo modo recusare valeas. Conjuro te † dæmon per Michæam Prophetam, qui dixit, quòd Dominus debeat nasci in Bethlehem, terrâ Judâ, prophetizando hoc modo: Et tu Bethlehem, terra Juda, non eris minima ex principibus

Juda,

Juda, ex te enim egredietur Dominator Israel; egressus enim ejus ab initio, & à diebus æternitatis. Conjuro te † per sanctum Iohelem Prophetam, qui prædixit, debere obscurari solem & lunam in passione & morte Christi dicens: sed Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem. Iterum conjuro te † per felicem Jacob, qui prophetavit de morte Christi dicens: in concilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea, quia furore suo occiderunt virum. Conjuro te † per sanctum Zachariam Prophetam, qui prophetavit de tentatione Christi dicens: Vide Jesum Sacerdotem magnũ, & Sathan stabat à dextris ejus, & dixit: Increpet in te Dominus, diabole, qui elegit Hierusalem. Conjuro te † per sanctum David Prophetam, qui dixit: quòd Christus prodendus erat à discipulo suo Judâ hoc modo: Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Iterum conjuro te † per sanctum Zachariam, qui prophetavit, quòd Christus erat vendendus, dicens:

tens: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli. Conjuro te † dæmon per beatum Iſaiam Prophetam, qui prophetavit, quòd Chriſtus erat venturus dicens: Veni Domine, noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ Iſrael. Et iterum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Iterum conjuro te † per beatum Iſaiam, qui prophetavit, dicens: Veniet Rex tuus Sion humilis, & reſtaurabit te. Conjuro te † per ſanctum Habacuc Propheram, qui per Angelum Domini deportatus fuit de regno ad regnum uſque Babylonem, & poſitus fuit ſuper lacum leonum, ubi erat Daniel. Iterum conjuro te † per ſanctum Jonam Prophetam, qui per tres dies in ventre Ceti manſit vivus, & poſtea in Ninive Civitate magna permanſit, & prædicavit. Iterum conjuro te † per beatum Heliam Prophetam, qui levatus fuit in curru igneo uſque ad cœlum, qui oravit, ut non pluetet ſuper terram per annos tres, & menſes ſex; & iterum oravit,

ut plueret, & pluit, & terra dedit fructum ſuum. Iterum conjuro te † per ſanctum David Prophetam, quem Deus Regem elegit, & de poſt Fœtantes accepit eum. Iterum conjuro te † per electum Danielem, qui ſomnia Regis explicavit, & Bel interfecit, & de lacu leonum liberatus eſt. Conjuro te † per ſanctum Malachiam Prophetam, qui prophetavit de adventu Chriſti ad judicium hoc modo: Ego accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniat mercedem mercenarij, humiliant viduam, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, & tu maledicte damnate ex illis es. Conjuro te † per tres pueros de camino ignis ardentis liberatos, ſcilicet Sidrach, Miſach, & Abdenago. Et per ſanctum Joannem Baptiſtam, quo nemo major inter natos mulierum ſurrexit. Conjuro te † dæmon per duodecim Apoſtolos Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per omnes Sanctos ſuos diſcipulos; & per beatum Petrum Principem Apoſtolorum, ut de hoc famulo Dei N. ſtatim exire de-

debeas, & omnia membra ſui corporis ſana dimittas, ſicut inveniſti, quando priùs in eum intrâſti; & de quacunque re interrogatus per me, ſtatim veritatem dicere feſtines ſine aliqua dubitatione, & te manifeſtare mihi in omnibus interrogationibus; deinde per merita Sanctorum, & Sanctarum Dei ad præceptum meum ab hoc famulo Dei penitus, & ſine mora recedas; nullum ei dolorem inferendo, nec aliquod nocumentum ei faciendo, nec alicui perſonæ, ſed ſine terrore vadas in profundum abyſſi, non rediturus uſque in diem judicij. Amen. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda radix David.

## CONIURATIO.

ITerum, atque iterum conjuro te † dæmon per illum, qui dedit poteſtatem diſcipulis ſuis, ut cæcos illuminarent, leprosos mundarent, mortuos ſuſcitarent, & omnes infirmitates curent. Per illum te † conjuro, qui primum hominem per lignum S. Crucis reſtauravit: qui cæco oculos aperuit: qui Lazarum mortuum ſuſcitavit quatri-

diuanum, & ad ſuperna revocavit : & omnes morbos ſua virtute curavit : qui examinavit magica figmenta Iannes, & Mambres. Et per hunc Exorciſmum, & per omnes alias conjurationes, & omnia ſancta verba, & officia, quæ celebrantur per univerſum orbem : per hæc omnia præcipio tibi, ubicunque ſis, vel fueris, ut ſtatim, ſicut fumus, evaneſcas, & vadas ad deſertum locum, vel in profundum abyſſi, ita quòd nunquam alicui noceas, non rediturus.

In nomine Pa†tris, & Fi†lij,
& Spiritûs † ſancti
Amen.

IN-